Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Thomas Lindemann

Thomae Lindemanni I.D. & Academiae Rostochiensis Professoris ordinarii. Synoptica Exegesis. Contractus Mutui : Succinctas ac dilucidas decisiones, & Resolutiones Quaestionum variarum ad hanc materiam pertinentium, & inter alias monetariarum, conclamato hocce cauponio seculo, magno Reipubl. malo controversarum exhibens

Rostochi[i]: Rostochi[i]: in Bibliopolio Hallervordiano: Pedanus, 1624

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0001
DFG

Je-5136

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0002
DFG

LINDEMANNI
ademiæ Rostochiensis
fessoris ordinarij.

TICA EXEGESIS.

TRACTUS
UTUI
c dilucidas decisio-
es Quæstionum variarum
inentium, & inter alias monetaria-
hocce cauponio seculo, magno
malo controversarum
exhibens.



Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis
18.

STOCHI

polio Hallervordiano sub
nno 1624. Revocata
is Joach. Pedani.

THOMÆ LINDEMANNI
J. D. & Academiæ Rostochiensis
Professoris ordinarij.

SYNOPTICA EXEGESIS.

CONTRACTUS MUTUI

Succinctas ac dilucidas decisiones, & Resolutiones Quæstionum variarum ad hanc materiam pertinentium, & inter alias monetariarum, conclamato hocce cauponio seculo, magno Reipubl. malo controversarum exhibens.



Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis
18.

ROSTOCHI

Prostat in Bibliopolio Hallervordiano sub incudem Anno 1624. Revocata Typis Joach. Pedani.

T.D. 157.
2

MAGNIFICO, NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, CLARISSIMO, Prudentissimo CONSULARI & SENATORIO ordini illustrium & inclytar. Rerump.

LUBECENSIS & HAMBURGENSIS.

S.

GRÆCIA quondam Sparta & Athenis ceu duobus ocellis perspicacissimis clarebat: Saxonia prisca duarum Rerump. ve-

Landesbibl. 1790.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0006
DFG

vestro, Viri Magnifici, ductu rectarum luminibus illustribus, consilijs gravibus fulget, imò radiat & coruscat. Illa ad lippitudinem omnem abstergendam sacrificium Apollineum & Mercuriale ceu convenientissimum collyrium adhibebat: hæcce vestris in Palatijs, Curijs, atrijs & Porticibus æmulo quasi studio litterarum Politiorum studia, juxta ac commercia fovet. Natura ipsa primâ ceu origine ac genesi vestrâ loci situ veluti gemellas Thetidos sorores, accolas, Eusebies Themi-

 dosq;

dosq; genuino glutine, insuper fœderis sinceri vinclis arctissimis constrinxit, amplissimis bonis communibus & proprijs largâ manu ditavit, mutuas vobis manus auxiliatrices submiuistravit, quas, dùm vobis invicem porrigitis, communibus vos mœnibus, quasi cingitis, & vos securos, imò invictos redditis. Dexteritatem, & aciem vestram in negocijs publicis hisce difficillimis temporibus dirigendis & periculis Saxonicis cervicibus impendentibus avertendis, non tantùm urbes

Socia-

Sociales expertæ ſunt, ſed & vicini Saxonici ſtatus ſæpè laudarunt: Ideò vobiſcum de rebus gravibus, & inter alias de Euripis monetalibus cohibendis, & gangræna ijſdem obducta ſubindè tecta, retecta, clam & apertè ſerpente radicitus, evellendâ ſeriò conſultarunt, & ne lues hæcce totum ſyſtema, prout alijs Provincijs contigit, hiſce in locis contage ſua inficeret præcaverunt. Hoc ipſum Xiſtos Academicos decurrentes admirando contemplantes, & veteres Academicos imitantes,

quæstiones Juridicas in utramque partem versatiles discutere, & tandem decisiones certas & stabiles, eruere ac firmare sedulò annituntur.

Cum itaque me quoque hoc tempore ordinarij mei labores Academici in contractus mutui, & in eodem occurrentis monetariæ materiæ, disquisitionem deduxerint, volui opellam meam exilem isti rei declarandæ conferre, eamque loco Symboli Eucharistici vobis vovere, enixè rogans, id syncera fronte accipere, meq; affectu,

quo

quo cœpistis, benevolo prosequi dignemini. Valete & vivite feliciter. Dabam Rostochij Calend. April. Anno 1624.

Vestrarum Amplitud.
obs.

Thomas Lindeman
Juris Doctor & Professor.



In

In Clarissimi & Excellentissimi Viri,

Dn. THOMAE LINDMANNI,

J. U. D. Consultissimi & Professoris Academiæ Rostoch, celeberrimi, Collegæ & amici honorandi, Dissertationes de Contractu Mutui exquisitissimas,

EPIGRAMMA.

Multa quidem legimus, populo præscripta fideli
Jura: quibus colerent ex ratione DEUM.
Omnia sed duplex constringit Regula: toto
Pectore Numen ament; & sibi quisq; parem.
Nam, nisi diligimus Christum; via tota salutis
Clauditur; atq; Orci janua sola patet.
Est autem fidei nobis data tessera; ut ipsa
Re demonstremus, lingua quod ore sonat:
Inq; vicem, si quid capimus, præstemus idipsum
Non alijs secùs, aut deteriore manu.
Fraternos generat Concordia sospes amicos,
Quam Candor mentis mutuus intùs alit.
Hujus ut effigiem spectare queamus in actu,
Absq; dolo, vera nomen habente nota:
LINDMANNUS Themidi charus, celebrisq; Sacerdos,
Trinis egregia monstrat in arte libris:
Detrabit & Spurijs phantasmata inania nummis.
Gratior est certo fixa moneta pede.

Simon Tœlman. Pom. D.

αὐτοχειρίας: 1624.

Dissertatio I.

DE

MUTUO.

EJUSDEM DEFINITIONEM
& caussam efficientem exhibens.

Publicè proposita,

PRÆSIDE

CLARISSIMO AC CONSULTISSIMO VIRO,

THOMA LINDEMANNO
J. U. Doctore & in Academia Rostochianâ Professore Ordinario,

RESPONDENTE

NICOLAO SCHUTTEN,
Rostoch.

Habebitur Disputatio in Auditorio majori
5. Septemb.

ROSTOCHI
Excudebat JOACHIMUS PEDANUS, Acad. Typog.

ANNO M. DC. XXIV

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0013
DFG

Dissertatio I.
DE MUTUO.

GRaviter JCtus Paulus in l. legavi ff. de liberat. legat. *monet, ea imprimis esse discenda & discutienda, quæ cotidiana sunt. Quo respiciens Udalricus Zasius in* l. jura ff. de LL. *scite & eleganter ait, Juris Studiosos eas juris partes excolere vel maximè oportet, quarum cognitio ad Usum forensem spectat, quæq; πρὸ τὸ πλεῖστον non παρὰ τὸ λόγε utilia esse queant. Si vero Politiæ legitimæ constitutionem & eam conservantis Justitiæ distributivæ & commutativæ effectum usumq; fori spectemus, nullus inter omnes contractus utilior, jucundior magisq; necessarius quam mutui contractus occurrit, cujus beneficio homines necessitate postulante invicem se sublevant. Dando namq; & accipiendo, teste Tullio mutuandisq; facultatibus efficimus, ut nullâ re indigeamus. Ast inter alios Contractus vix ullus litium fertilior mutuo est. Cum enim MEUM & TUUM ut Plato aiebat omnium controversiarum verum sit seminarium, & mutuum accipientes sæpiusculè beneficij accepti immemores, mutuantes verò in exigendo rigidiores esse soleant, rerumq; mutuò datarum æstimationes ob pecuniarum realiter vel imaginativè crescentem decrescentemvè valorem variæ & incertæ sint, hinc controversiarum uberrimam segetem enasci cotidiè experimur. Ideò operam non ludunt, qui mutui doctrinam accuratius indagant & examinant.*

NOs disquisitionem brevem materiæ hujus instituturi, ex Ciceronis præcepto à definitione rei, quam tractaturi sumus, exordiemur. Mutuum autem variè ab Interpp. definitur: Inter alias verò definitiones naturam Mutui vel maximè explicat illa, quæ mutuum definit contractum, quo quantitas eâ lege datur, ut eadem in genere non in specie restituatur. *l. 2. §. 2. l. 3. 4. l. 11. & simill. h. t.*

2. Cujacius quoq; non inconcinnè mutuum dicit esse, commodatum ad Abusum: uti è contrario, commodatum mutuum ad usum.

3. Quamvis enim commodati verbum ad res in specie reddendas propriè referatur, mutuum quoq; rebus fungibilibus præcipuè applicetur, tamen & hasce voces promiscuè nonnunquam tam apud JCtos, quam auctores Classicos Usurpari constat, *arg. l. item 49. §. 2. de Leg. 3, l. quæsitum §. si quis de instruct. vel instrum. le. Cic. in Orat. Verrinar.* ait, publicè commodasti non sine magno Siciliæ detrimento modios 60. *Tacit.* domum mutuari ait. Item *Simach. 7. Epist.* Cantherium mutuari dixit. *vid. Cujac. ad Paul. lib. 28. ad Edict.* ubi suavem de Fulgosio ad hanc rem pertinentem Historiam refert.

4. Mutui porro notationem non tam Etymologicam, quam Logicam Paulus tradit *in l. 2. h. t* eamq; deducit à ΜΕΟ & ΤΙΟ: quæ notatio, utpotè præcipuam formæ ac differentiæ specificæ partem continens, retinenda est.

5. Contractum genus Mutui constituo propinquius;

ǫuius: Creditum remotius. Crediti enim vox de mutuo alijsq; contractibus omnibus, in quibus fidem aliorum sequimur, prædicatur, *l. 1. de R. C. l. creditores cum duab. seqq. de V. Signi.*

6. Mutuum licet alij contractum esse negent, & hoc verbum solis contractibus δυσπλεύσεις applicari contendant *arg. l. Labeo ff de V. S. ibi Bart. Rebuff. Brech. & Alciat. & alij*: tamen cum ll ipsæ mutuum contractibus accenseant *§. Jus gentium Inst. de J. nat. G. & C. l. hoc Jure de Just. & Jure l. contractus C. de fid. instrum. l. 1. §. 2. l. obligamur. de O. & A. l. prout quidq; ff. de solut.* Ideò & nos rectè per contractum mutuum, definiri statuimus: nec enim ex vinculo utrimq; obligatorio, sed negotio ipso, ad obligationem producendam idoneo, contractus substantiam metimur, & hoc ipso à pacto nudo contractum secernimus, & contractum in genere, conventionem cum caussâ (quam causſam vox πραγμάτων notat) definimus, *l. 7. ff. de pact.* Quod verò *in d. l. Labeo ff de V. S.* de obligatione ultrò citroq; dicitur, id eleganti & Juridicâ subauditione, de conventione ultrò citroq; consensu interveniente, ac obligationem inducente intelligi potest. *arg: l. 6. §. rationem ff. de Edend.* Prout latè demonstrat *G. oed. ad d. l. Labeo.*

7. Proindè Quantitatis verbum in definitione accipitur non tantum de pecuniâ numeratâ, prout vocem hanc *Udalr. Zas. in intellect. singular. c. 1. n. 22. Duar. 1. Disp. c. 6. Donell. ad l. 2. §: 2. & ad l. vinum h. t.* restringunt, ducti argumento *l. cum alter 11. ff. de compens. l. si is cui 94. §. 1. de solut. l. nam & si fur ff. de Rebus cred. l. 3. §. planè ff. de contrar. tut. act. junctâ L. Moschis §. fin ff. de jur fisc. l. in summâ §. in frumento ff. de condict. indeb.* Sed pro omni re in genere functionem recipiente, *l. 1. l. pen. & ult. ff. de*

condict. tritic. l. 1. §. 7. ff. ad L. Falc. d. l. si is cui 94. §. 1. ff. de solut. l. cum aurum ff. de aur. & arg. Quamvis enim quantitas in supradictis pro adversâ sententiâ sustinendâ allegatis ll. καθ' ἑξοχὴν ad pecuniam numeratam referatur, utpote quæ non solum semetipsam, sed & omnes alias res æstimat: tamen & alias omnes res functionem recipientes ambitu suo complectitur, uti fusius declarat *Robert. 3. sentent. 6. Cujac. 2. observ. 37. Vult. 1. discept. c. 11. Goed. l. 4. ff. de V. S. n. 20.*

8. Quinimò quantitatis vox latissimè sumta in omnes res corporales cadit, utpotè cum omnes res quantitatem & qualitatem recipiant: Verum cum non res omnes, sed tantum eæ, quæ in genere functionem recipiunt, quantitate æstimentur, ideo magis propriè, hæc vox ad res pondere, numero & mensurâ consistentes, & exindè sui naturâ, aptitudine & consvetudine æstimationem recipientes, refertur *Goed. ad l. 4. n. 25. de V. S. Cujac. 11. observ. 37.* Hæ autem res seipsas æstimant, non aliundè æstimationem ut aliæ species sumunt, *l. quod sæpè 35 §. in his ff. de contrah. empt. l. Julianus §. si Titius ff. de Act. empt. l. 1. ff. de peri & commod. rei vend l. pretia rerum ff. ad L. Falc.* Aliæ res & corpora numerari, mensurari & pensitari quidem possunt, imò ad numerum, pondus vel mensuram venduntur, commodantur: Ast eorum substantia non in numeri, ponderis vel mensuræ quantitate consistit. Ideò & si grex ad numerum alicui detur, ut totidem capita restituantur, non tam mutuum quam contractus innominatus est, licet *Cujac. ad Paulum in l. 2. h. t. & lib. 11. observ. 37.* tali casu oves mutuo dari posse statuat. Possunt tamen res fungibiles nonnunquam ut corpora considerari, quià licet quantitas corpus non sit, corpore tamen constat *arg. l. 1. ff. de contrah. empt.*

9. Por

9. Porrò dum in definitione LEGIS mentionem facimus, non pactum aliquod singulare, quod legis appellatione quoq; venire constat *l. 7. §. quin imò ff. de pact.* Sed ipsam mutui naturam, quæ hanc legem secum fert, intelligimus. *d. l. cum quid.* Dari autem quantitatem oportet, id est de meâ tuam fieri. Unde nec rei alienæ mutuum ab initio ullum esse potest *l. 2. h. t. Cujaç. 11. observ. 37.*

10. Generis deniq; nomen in definitione pro quâdam communicabili, seu, ut *Bald.* loquitur, identificâ qualitate, quæ ipsa & substantia & materia *Cujac.* testante dicitur, accipitur, eaq; consistit in rebus naturâ quâdam similibus, & ideò functionem, permutationem promiscuumq; usum recipientibns (sic enim verbum functionis *in l. 2. h. t.* accipiendum esse verius *arg. l. 51. ff. de leg. 2. Goed. ad l. 4. n. 29. de V. S.* nec Donelli interpretatio, nec Hotomanni emendatio admittenda est) quales sunt nummi, frumenta, vina & similes res, quarum verus usus in abusu & consumptione consistit, ideò nec eædem in specie sed in genere restituendæ sunt, in tantum, ut si convenerit, ut res eadem restituatur, non mutuum, sed depositum vel commodatum contractum intelligatur, sufficit tamen ab initio eâ intentione mutuum datum esse, licet ex post facto evenire possit, ut vel res eadem, vel diversa, interveniente sc. conventione reddatur *Zas. in l. 2. hic.* Ubi & de variâ significatione vocis Generis scitu digna notat. Et tantum de ipsâ definitione.

11. Mutui diversas species interpretes confingunt. Et aliud mutuum naturale, aliud civile, aliud mixtum esse statuunt, quæ distinctio, quamvis docendi caussâ retineri forsan posset: verius tamen est unum tantum esse mutuum, quod rei datione vel verâ vel à lege inductâ,

etâ, per consumptionem sc. vel brevem manum perficitur *l. singularia, l. rogasti, l. nam etsi fur. ff. h. t. l. 6. C. eodem.* Giphanius tamen consumptione non tam mutuum conciliari, quam ex consumptione actionem dari existimat, cujus sententia tolerari quoq; potest. Alij mutuum in Absolutum & Relatum distinguunt, de illo *in princip. inst. h. t. de hoc in §. 1. inst. h. t.* agi putant, idq; Promutuum appellant, & indebitum intelligunt. Sed hoc Promutuum species mutui non est, cum indebitum non in quantitate tantum, sed in corporibus consistat, & tantum similitudinem mutui in quantitate indebitâ soluti ratione condictionis habeat.

Sectio 2. 12. Mutuum caussam remotam jus gentium habet *§. jus autem Inst. de l. nat. G. & C. l. si ita stipulatus 126. §. Chrysogonus de V. O.* Propinquam autem caussam consensum contrahentium: Quamvis enim Mutuum re perficiatur, tamen & consensum dantis & accipientis, vel expressum vel à lege inductum intervenire oportet, adeò ut si dans & accipiens inter se quoad mutui caussam dissentiant, mutuum non consistat, & JCtus Ulpianus *in l. si ego ff. h. t.* eo casu scribat magis esse, ut accipientis nummi non fiant, ad hoc sc. ut mutuum verè contrahatur, tamen quoad Dominij translationem simpliciter consideratam verius est, eam per errorem in causa traditionis non vitiari, atq; ita accipienda est *l. cum in corpus ff. de Acquir. rer. dom.* & concilianda cum *alleg. l. si. ego.* Et hanc conciliationem Rubricarum sub quibus hæ leges positæ sunt, diversitas suadet. Error etiam in ipsâ quantitate creditâ contractum hunc vitiat: Circa qualitatem verò error eundem non afficit. *arg. l. 3. h. t.* idem quod est in depositio, stipulatione & simil. *l si id 22. l. si in nomine 32. ff. de V. O.* tamen in emptione & venditione, in quâ non corpus

corpus tantum, sed & corporis bonitas spectatur, aliter se res habet, *l. in venditionibus 9. §. inde l. 10. & seqq. ff. de contrah. empt. l. si sterilis §. quamvis ff. de act, empt.*

13. Porro consensus excludit hic personas consensu justo vel lege vel naturâ carentes, inter quas primum locum sibi vendicat pupillus, qui mutuum nec dando nec accipiendo vere contrahit *l. non omnis §. si pupillus ff. de R. C.* nisi locupletior factus sit, aut dolo quid gesserit *l. 1. §. 13. l. 59. ff. de O. & A. l. 1. §. in pupillum ff. depos. l. 5. ff. de Auctor. tut. l. interdum ff. de cond. indeb.*

14. Quamvis autem hæc quæstio, quibus nimirum modis & casibus pupillus obligetur, variè ab Interpp. exagitetur, alijs inter naturâ & naturaliter obligari: alijs inter pubertati & infantiæ proximos: alijs inter pupillos tutores habentes vel non habentes: alijs inter obligationes ratione rei vel personæ nascentes distinguentibus: alijs tempora ante vel post D. Pium accuratè computantibus; Cujacij tamen legum correctionibus & mutationibus semotis, conciliationes omnium vel proximè veritati juris accedunt, & certè inter tempora quæ D. Pium anteceserunt & sequuta sunt distinguendum esse ll. complures suadent. Ante D. Pium enim pupillus locupletior factus obligatus quidem fuit, nulla tamen lex, quæ effectum actionis tali obligationi tribuerit, lata fuit, imò nec per rescriptum D. Pij naturalis obligatio in civilem transmutata est, *Castrens. in l. interdum ff. de condict. indeb. l 5. ff. de auctor. tut.* Undè utilis tantum actio ex D. Pij rescripto dari dicitur *l. 3. ff. commod.* Et quia hâc ratione pupillus respectu diversi temporis obligari naturaliter, simpliciter sc. & nudè, vel efficaciter & energeticè rectè dicebatur, indè factum est, quod juris auctores nonnunquam de naturalis obligationis effectu naturali

tantum, aliquando autem de civili vinculo per D. Pium appositò loquantur, & modò repetitionem nullam esse, modò actionem dari respondeant; Et ut iràexistimemus exindè movemur quod videamus Juris Interpp. qui post D. Pium vixerunt, vel proximè ad eum accesserunt, puta Julianum, *in l. si pupilli ff. de neg. gest. Scævolam in l. 127. ff. de V. O. & Papinianum in l. cum illud §. 1. ff. quando dies legat.* rescripti D. Pij mentionem nullam facere, sed primò *Ulpianum in l. 3. in princ. ff. commod.* dictum rescriptum allegare? qua distinctione adhibitâ pleræq; leges diversimodè loquentes conciliari facilè possunt.

15. Porro Mutui datiõ cum alienationem contineat, ea verò pupillis interdicta sit, ideò mutuum dare *§. nunc admonendi Inst. quib. alien. lic.* prohibentur si tamen bonâ fide pecunia à pupillo mutuò data ab accipiente consumpta sit, mutuans perindè quoad condictionem obligatur, ac si verè mutuum contractum esset: vel liberatur, si sc. pupillus pecuniam legitimè debitam solverit *l. non omnis §. 1. ff. h. t.*

16. Ad eandem classem furiosi, mente capti, dementes & fatui referuntur *l. si à furioso ff. h. t.* Ideò si tales personæ mutuum credant, non quidem mutuum contrahunt, utpote cum consensu destituantur. At si credita pecunia consumpta bonâ fide fuerit, ea consumptio condictionem parit *d. l. si à furioso.* quam condictionem sivè certi ex mutuo, sivè condictionem sine causâ appelles, in effecta parum interest, vix tamen est, ut mutuum rectè & propriè in personâ consensus omnis expertè ex post facto conciliari rectè dixeris.

17. Proindè prodigus furioso comparatur ideò, nec pecuniam mutuam dando, nec accipiendo mutuum rectè contrahit, nec obligatur, nisi vel locupletior factus, vel in-

in dolo sit, alium tamen sibi efficaciter obligāt, maxime si pecunia credita bonâ fide consumpta sit, *l. 6. ff. de V.O, l. certi §. sed etsi ff. de R. C.*

18. An verò Prodigus ipso jure talis sit, vel decreto Magistratus fiat, magna inter Interpp. est altercatio, quā hâc ratione conciliari posse autumo, ut prodigo lege ipsà jubente, volente, à Magistratu, eo tamen cui lex hoc permittit bonis interdici dicamus *l. 1. ff. de curat. furios. l. is cui 18. ff. qui test. fac. ppff. l. Julianus ff. de curat. fur.* Quamvis enim lege nonnunquam id fieri dicatur, quod solâ lege fit nullo interveniente Magistratus edicto *l. legitimos ff. de legit. tut.* tamen lex jubens prohibensve factum magistratus non simpliciter excludit *arg. l. auxilium ff. de minor. l. si minorem C. de in integr. restit. l. 9 §. 7 ff. h. t.* Et certè sæpè numerò evenit, ut ij qui frugales & parcos se simulāt, re & facto vel maximè prodigi sint: quo casu certè nisi interdictio Magistratus accedat, contractus cum hujusmodi hominibus initi, perpetuis litibus erunt obnoxij & impliciti: Ideò in hujusmodi prodigis decretum Magistratus necessarium est, eoq; respiciunt JCti *in l. Julianus l. si furioso ff. de curat. fur.* Si quis verò sciens prudens cum eo qui notoriè prodigus est contrahat, is eum sibi, licet nondum prodigus publicè declaratus sit, non obligat. Quid enim si Magistratus in officio segnis sit, anne ob id, cum notorie prodigo contrahens excusabitur? quin potius ipsius prodigi interest, ne semper decretum, expectetur, cū is ante ejus interpositionem omnia sua bona profundere potuerit. Minor quoq; licet intellectum quendā habeat, tamē cum ei ob ætatis lubricitatem bonorū administratio interdicta sit ideo nec is mutuū dādo simpliciter obligare, nec accipiendo aliove modo contrahēdo obligari potest, nisi is locupletior factus sit dolove usus fuerit, *arg. l. 3 C.*

de in integr. restit. l. puberes 107. de V. O. in quarum ll. conciliatione Cujacij solutiones meritò præponderant. Obligantur tamen minores ex mutuo ut dixi eatenus, quatenus pecunia in eorundem utilitatem conversa est, quod semper factum præsumitur, nisi minor se læsum esse probaverit *l. minoribus C. de in integr. restit.* quod tamen nonnulli in dubium vocant ex *l. 1. & 2. C. si adverſ. credit.* quàm ll. difficultatem distinctionis fœdere pleriq; conciliant, ut sc. minores adversus contractum validum restitutionem petentes, se læsos esse probare teneantur. In contractu verò invalido & per se nullo, creditor teneatur docere, pecuniam in minoris utilitatem esse conversam, ut in contractu alienationis sine decreto factæ. Quãvis autem hæc distinctio per se verisimilis sit, jurisq; effectum habeat, generaliter tamen dicendum videtur, impetratâ, à minore ex aliâ quam pecuniæ in rem suam non versæ caussâ restitutione, creditore vero pecuniam exigente, & versionem in rem pupilli allegante, eò casu creditorem exceptionem suam, nimirum versionem in pupilli rem fundatam probare debere, vide hâc de re eleganter differentem *Hartm. Pist. l. 1. quæst. 38.*

19. Proindè non tantum privatos, sed & Universitates seu Civitates æs alienum mutuam pecuniam accipiendo conflare, quotidiana nos edocet experientia. Quamvis autem Civitates imprimis fidei observantes & tenaces esse deceat, tamen & hoc litigioso & pravo seculo periculosa & exactu difficilima Rebusp. credita esse constat. Et certè vix est quisquam adeò providus cautusq;, qui omnes exceptiunculas adversus creditores à Rebuspub. earumq; Syndicis excogitatas, & plerumq; perperàm usurpatas, declinare, præcavere & effugere queat. Nec enim prægnantissimæ renunciationes, *l. civitas ff.*

de

de R. C. in rem non versæ, restitutionis in integrùm & similes attenduntur, sed probationes exquisitæ, pecuniam in Reip. utilitatem conversam esse postulantur *l. civitas ibi Dd. ff. de R. C. l. 1. §. municipes ff. de acquir. vel amit. poss. And. Gail. tractat. de Arrest. & pignor. c. 9. Ioan. Koppen. quæst. 60. Hartm. Pist. l. 1. quæst. 37. Goed. de jur. civit. consil. 5.* Cum verò præcipua difficultas distinctione diversarum formarum Reip. tollì possit, ideò quicunq; Reip credere intendit, inprimis in ejusdem formam inquirere necesse habet, an sc. ea sit Aristocratica, an Democratica, an verò mixta, & an Magistratus mutuum accipiens totam Remp. totumq; populum repræsentet, nec ne.

20. Aristocratia unanimi JCtorum & Politicorum sententiâ definitur Imperium summum certorum Optimatum, ad salutem publicam institutum ac directum. Undè consequitur in Aristocraticâ Rep. Optimates idem posse; quod in statu Monarchico Principes possunt, *Arist. 3. polit. 5. & 4. polit. c. 7. & 8. Joan. Bod lib. 2. de rep. cap. 6.*

21. Hujusmodi Magistratus in Rep. Aristocraticâ absolutam potestatem, legisq; condendæ potestatem ex populi concessione habentes, vel summi Principis constitutione, vel immemorialis temporis præscriptione mutuam pecuniam accipiendò Remp totam omnesq; ejusdem subditos obligant. *l. Cæsar. ff. de public. l. pen. C. de don. inter Vir. & V. Bart. Fulgos. & DD. in l. civitas ff. de R. C. Ias. ibid. num. 4. l. quod semel ff. de decret. ab ord. fac. Bart. in l. præses n. 4. C. de transact. Matth. Coler de proceff. execut part. 2. c. 3. n. 347. P. Frider. de mand. lib. 2. c. 62. §. 8. Hartm. 1. lib. quæst. 37. Henning. Göden. de jur. civit. cons. 5. Ant. Fab. in C. tit. de O. & A. Meichsneru tom. 4. decis. 27. Fach. lib. 2. quæst. 75.* Quod adeò verum est, ut ne

quidem Magistratus merè Aristocraticus ad rationes populo reddendas teneatur *Arist. lib. 2. c. 7. Herod. Rer. Iud. lib. 5. c. 7.* Non tamen ut prædicta decisio obtineat, sufficit Magistratum statutorum condendorum potestatem habere. Nec enim à statutorum promulgatione ad obligationis inductionem, efficax ducitur argumentatio, cum nec Princeps, licet legis condendæ potestatem habeat, subditum invitum & non consentientem obligare queat, *l. item verberatum ff. de R. V. l. fin. C. si contr. jus vel util. publ. Zas. in d. l. Civitas Hartm. Pist. d. quæst. 27. n. 17.* Quo ipso & vulgaris distinctio inter Civitatem superiorem recognoscentem & non recognoscentem concidit *arg. l. si privatus ff. qui & à quibus.*

22. Verum hæc quæ diximus in statu Reip. verè & merè Aristocratico extra dubitationis aleam posita sunt. Ast vix ulla datur in Europâ pura & vera Aristocratia, quin aliquid mixturæ habeat. Genuates, Veneti & Raghusani, in Germaniâ Augustani Noribergenses & Lunæburgenses, puriorem præ reliquis civitatibus Europæis Aristocratiam hactenus conservarunt, attamen pacis & concordiæ causâ, mixturam quandam exemplo Rom. Reip. quæ Tribunitiam intercessionem admisit pleræq; Resp; tolerare coactæ sunt. And. Doria Genuatum Aristocratiam firmare desiderans, in consilium magnum plebeios quosdam coôptavit. Veneti ut populum in officio continerent, consilium magnum adeò extenderunt, ut maximæ Civitatis parti Reip. cura incumbere videatur Noribergenses quoq; ad populi interpellationem, non deputatos modò ad communicationem admiserunt: sed & octo ex plebeio ordine in ordinem senatorium receperunt. Idemq; non ità pridem Luneburgenses secuti sunt *vid. Arnis. l. 2. de Rep. c. 4. Thom. Schmit. de Rep. Anglicanâ c. 7.*

23 Cùm.

23. Cùm igitur Respub. merè Aristocraticæ, paucæ sint, accuratè dispiciendum est, an Senatus seu Magistratus mutuam pecuniam sumens plenam ærarij publici dispositionem ex populi consensu habeat, atq; adeò totum populum vel solus vel cum quibusdam ex civium numero deputatis repræsentet. In plerisq; civitatibus ultra & præter Senatores certi sunt Magistratus seu Tribuni plebis, seu Officiales, qui populi partes tuētur, & in quibusdā locis Gildemagistri, in quibusdam Zunfftmeister dicuntur, quibus convocatis & cum Senatu conspirantibus is mutuum acceptum Civitatem totam efficaciter obligat. Sibi enim populus imputet, si deputatos infideliter ex suo ordine delegat, nec rationes ab ijs tempestivè exigi curet. *l. quicquid C. arbitr. tut. l. Orphanotrophos C. de Episc. & Cler. l. periculum ibi Jas. & Alciat. ff. si certum pet. Cagnol. in l. nn. §. si procurator ff. si quis jus dic. non obtemp. Ronchegallus in l. eandem in princ. n. 209. ff. de duob. reis.*

24. Sin vero Resp. Democratica, & ærarij cura à populo certis Antianis, Thesaurarijs, quæstoribus seu Curatoribus commissa sit, & ij mutuum sine populi totius vel deputatorum ejusdem consensu sumpserint ij non aliter cives universos & Remp. obligant nisi in ejusdem utilitatem pecuniam conversam esse Creditores probent.

25. Tale Regimen tempore JCtorum in plerisque Rom. Imperio subditis Civitatibus & municipijs fuit, & de ijsdem accipienda est *l. Civitas ff. h. t. Bart. Zas. & alij Dd. communiter in d. l. Civitas. Item Costal. ad tot. tit. ff. Quod cujusq; Univers. l. inter publica ff. de V. S.*

26. Publicè namq; interest, ne Civitates Administratorum suorum damnum subeant. *l. fin. C. de vend bon. civit.* Idq; adeò procedit, ut nec fidejussores Civitatum efficaciter nisi in Utilitatem civitatis versio probetur, obligen-

ligentur. *c. quod quibusdam X. de fidejussor. arg. l. 1. l. si à reo ff. de fidejussor.*

27. Ideò si quis Reip. Democraticæ credere velit, cautè procedat & inprimis inquirat, an certis administratoribus & civibus ærarij plena cura commissa, & libera potestas pecuniam mutuam accipiendi concessa sit, statutumq; conditum, ut ab ijsdem gestum à toto populo ratum haberi debeat. Nam alias contractus nullos alios quam ipsas personas contrahentes obligat *l. 1. in fin. ff. de dol. mal. & met. except. Bart. in l. omnes quæst. 5. ff. de. l. & l.* Si tamen præsente vel consentiente populo, vel Syndico mandato populi constituto pecunia mutuò accepta sit, civitas ipsa obligatur *l. 5. §. gessisse ff. de administr. tut. l. 1. §. ait ff. Unde vi Donell. in l. Civitas n. 3. ff. h. t. Menoch. de arbitr. Iud. quæst. lib. 2. cas. 432. Lossæus de jur. univers part. 3. n. 1. c. 8. & 9. Bart. Ripa & Zas. in d. l. civitas & in l. 15. ff. de pignor.* Quia civitas tota ut ex delicto *l. metum §. animadvertendum ff. de eo quod met. caus.* Ita multo magis ex contractu obligari potest. Imò tenetur Civitas mutuum totius populi consensu contrahens, etsi in ejusdem Utilitatem pecunia versa non sit, sed forsan ad Principem pervenerit. *l. eum qui mutuum C. si certum pet. l. eum à quo C. de solut. l. 8. C. depos. Coler. de proces. execut. part. 2. n. 235.*

28. Idem est, si Civitas pro Principe fidejusserit. Coler. d. l. ubi præjudicium contra civitatem Helmstadiensem notat: Atq; ita novissimè pronunciatum est in causâ Philip. Schaden contra Senatum Zimmerienſem. Sed etsi cives unanimi consensu contrahentes Universitatem ipsam obligent, non tamen ob id cives singuli, sed in Universum tantum tenentur: Ideò executio regulariter non in bona singulorum, sed in bona Universitatis fieri debet

arg.

arg. l. sicut ibid. Bart, & Bald. ff. quod cujusq. Univers. Dec. in l. civitas ff. de R.C. Hinc non subsistunt obligationes, quibus bona singulorum pro debito Reip. hypothecæ nexu innodantur, vel represaliarum, aut arrestationum periculis exponuntur Paul. Castrens. cons. 20. part. 1. Henning. Goden. cons. 5. de jur. civ. Gail. de arrest. & pignor. c. 9. Dn. Cothm. resp. 52. n. 342. Nam nec statutum non omnes cives concernens, sed in præjudicium unius vel alterius ex civibus tendens de jure subsistit, Jas. in d. l. civitas n. 10. ibi Fulgos. neq; in hisce quæ ad singulos pertinere debent, cõsensus majoris partis populi sufficit, c. quod omnes de R. J. in 6. l. per quem locum ff. de servit. Rust. præd. Si tamen cives in ejusmodi obligationem consenserint, ex formâ obligationis tenebuntur. Bart. in l. 4. ff. de judic. Coler. de process. execut. part. 2. c. 3. n. 367. Meisn. decis. tom. 4. decis. 27. & in talibus casibus, quando nimirum civium consensu mutuum à Rep. contractum est, creditor ab onere probandi versionis in Reip. Utilitatem liberatur. Bart. in d. l. civitas n. 8 vers. hæc autem Hartm. Pist. d. quæst. 37. n. 50. Nec adversatur hic textus d. l. civitas, quæ non de civitate ipsâ, sed de administratoribus ejusdem contrahentibus agit, qui non aliter cives obligant, quàm si versio in Reip. utilitatem doceatur & probetur, nec sufficit ad hanc probationem docere civitatem tempore mutui contracti fuisse pecuniæ indigam arg. c. peu. X. de fide jussor. Bart. & commun. Dd. in d l. civitas Angelus cons. 245. Mascard. de probat. conclus. 1161. n. 8. Præsumtionem tamen quandam hinc induci dicendum videtur arg. l. fin. ff. de exerc. act: & Auth. hoc ita correctum C. de Episcop. & Cler. Quantum autem hæc præsumtio in singulis casibus operetur, id meritò arbitrio æqui judicis committitur. Menoch. de arbitr. jud. quæst. c. 432. n. 35. Hartm. Pist. d. quæst. 37. num. 38.

Tum verò hæc præsumtio insignem arguendi vim habet, quando post mutuum acceptum indigentia civitatis cessavit *arg. l. sicut ibi Bart. ff. quod cujusq; Universs. Bart. in l. cum servis ff. de V. O.*

l. civitas

29. Procedit autem dicta *l. civitas* in mutuo non verò in alijs contractibus, quibus solenniter gestis probatio versionis in utilitatem civitatis præcisè non requiritur *Bart in l. 1. & l. fin. C. de Vend. bon. civit.* quam sequitur *Bald. Alberic. Castrens. in Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. Redoanus de reb. Eccles. non alienand. quæst. 65. n. 2. Menoch. de arbitr. jud. quæst. l. 2. cas. 432. Coler. de proc. execut. c. 3. n. 346. lib. 2. Bruning. de jur. Univers. art. 37.*

30. Ideò in venditione annuorum redituum d. l. civitas locum non habere verius est *Heig. lib. 1. quæst. 34.*

31. Mutuum autem à civitate legitimè acceptum condictione certi repetitur, quâ effectum suum sortiente excuti primo bursa civitatis, eâq; bursâ exhaustâ executio in res mobiles; & si illæ desint, in res immobiles faciendа: Sin verò nec hæ superstint, nec civitas ipsa sponte suâ pro æris alieni exsolutione collectas sibi indicat (quod facere tali casu potest, *l. 1. §. fin. ibi gloss' in verb. proconsul. ff. quod cujusq; Univers. Bart. in l. 3. & fin. ff de alim. & cib. leg. l. omnes C. de operib. publ. Ingolstadienses in consil. 1. tom. Germ. 1. pro hac Repub. scripto.* tum ad collectationem per superiorē cogi potest. *Bart. in l. 4. §. actor n. 1. & 6. ff. de rē jud. & in l. 1. §. quod si nemo ff. quod cujusq; Univers. Alexand. in l. 4. n. 13. ibi Ripa n. 28. ff. de judic. Borgnin. decis. 68. n. 123. Boerius decis. 60. n. 5. Nicol. Losseus de jur. Univers. c. 9.*

32 Quod autem genus collectæ tali casu tolerabilius æquiusq; sit, id ex causâ istius debiti æstimandum est *Innocent. in cap. grave X. de sentent. ex comm. Bart. in d. l. 4. §. actor ff. de rē judic.*

33. Et

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0030
DFG

33. Et quamvis in dubio collectâ secundum æs & libram quod dicunt, seu pro viribus patrimonij cujusq; indicta æqua videatur, *l. rescripto ff. de muner. & honor. ibid. Bart. Gail. de arrest. c. 9. n. 29.* Nonnunquam etiam capitationes admittendæ sint; Tolerabiliores tamen esse collectas, quæ non singulorum bonis sed negotiationibus imponuntur, quales sunt Accisæ quæ dicuntur, non tantum ratio communis, sed & experientia & praxis contestatur.

34. Eoq; collectæ genere hodiernis moribus Belgæ, imò pleriq; Reges ac Principes vicini utuntur.

35. Si verò administratoribus nudis pecunia credita sit, nec versio in civitatis utilitatem probari queat, ipsi Administratores tenebuntur condictione ob caussam dati caussâ non secutâ.

36. In dubio verò utile est Actiones adversus Universitatem ejusq; Administratores competentes cumulare eodem libello, *Hartm. Pist. d. quæst. 37.*

37. Nonnunquam Civitates beneficio restitutionis in integrum gaudent, si læsæ sint, Minoribus namq; æquiparantur *l. Resp. C. ex quibus caus. majores* quæ lex nõ tantum de Repub. urbis Romæ sed & aliâ quâ libet accipi debet *Arg. l. 22. in fin. ex quib. caus. major.*

38. Mutuum tamen dare rectè civitas potest, sed id faciendo privati loco in simplici debito est, nec privilegio tacitæ hypothecæ vel prioritatis gaudet *l. nihil ff. ad SCtum Mac. arg. l. 8. qui pot. in pign. l. 33. ff. de usur. l. 2. C. de debitor. civit.* Idem quod de Civitatibus diximus, in plerisq; ad Ecclesias quoq; & pia loca extenditur, *Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccles. Bart. in d. l. Civitas n. 10. Roland. Vall. cons. 90. n. 2. vol. 7.*

39. Uti vero Civitas mutuum dans privilegio hypo-

 thecæ,

thècæ, uti dictum est, non gaudet *l. 2. C. de jur. Reip. l. 10. ff: ad municip.* nisi pro annuis tributis *vid. consult. Saxon. vol. 1 part. 3. quæst. 7. n. 46.* (*Quod tamen ex jure Lubecensi & moribus ad alia Reip. debita etiam extenditur.*) Ita nec Ecclesia in simplici credito ullum hypothecæ tacitæ jus sibi arrogare valet *Bald. in l. fin. Colum. 3. ver. ulterius quæritur C. de SS. Eccles. Jas. in §. fuerat Inst. de Act. Neguz. de pignor. c. 2. memb; 4. Alexand. cons. 44. n 3. vol. 6. de consult. Saxon. 7. n. 46.*

40. Ab hâc sententiâ recessisse video nonnullos ex modernis Dd. inter quos est *Johannes Koppen. quæst. 38. n. 5. item Lipsenses in resolut. 80.* quos novissimè secutus est Beuterus *tract. de præfer. credit.* argumento ducto à pupillis, quod certè minus concludens est, cum nec Pupilli in simplici credito jus hypothecæ ullum habeant, imò nec ut supra dictum est recte credant, etsi per tutores vel curatores mutuum dent, pari cum alijs simplicibus creditoribus jure censeantur.

41. Quod verò de privilegijs tutelaris pecuniæ traditur, id obtinet in bonis ipsis tutorum vel curatorum, in quibus pupillus & minor, prout etiam Ecclesia in bonis Administratorum, & in legatis Ecclesiæ relictis privilegium tacitæ hypothecæ habet de quo casu intelligendum est quod *Koppen. in d loco* pro intentione suâ firmandâ adducit ex *l. Orphanotrophos C. de Episc. & Cler.* Qui verò fisco & doti Ecclesiam in simplici credito comparant, nullo jure jurisve certâ ratione nituntur. Erronea itaq; observantia est, quæ à prædictis Dd. allegatur, vixq; est, ea in contradictorio judicio sustineri ut possit, nisi eam ad privilegium personæ restringas, quod Ecclesiæ exemplo Reip. tribui posse videtur, quo & consult. Saxonica *part. 3. quæst. 7. n. 46.* respicit.

42. Pro-

42. Proindè consensus in mutuum dante & accipiente liberrimus esse debet. Ideò ubicunq; Impressionis, concussionis vel coactionis metus, vel suspicio subest, mutuum non rectè contrahitur. Unde Rectores & Præsides Prouinciarum, maximè temporarij eorumq; comites & officiales qui perpetui non sunt, mutuum dare & fœnus excercere exceptâ victus necessitatis causâ prohibentur *l. provincialibus 37. cum l. seq. ff. de R. C. l. eos C. eodem l. non licet ff. de contrah. empt. l. quod. per impressionem C. de contr. empt. l, unic. C. si rector provinciæ.* Cujus ratio duplex est, prima, ut eò melius Rectores officio suo vacent. Secunda, ut libertas commerciorum subditis relinquatur integra, quæ non consisteret, si Præsidibus provinciarum negotiandi & fœnerandi potestas permitteretur, Rectè namq; Imperator ait *in l. defensionis C. de jur. fisc.* Cæsarianos omnia fraudibus temerare solere.

43. Quamvis autem officialibus perpetuis *l. 34. h. t.* negotiandi & fœnerandi facultatem permittat, tamen ne id quidem ad perpetuos Præsides extendendum est, utpotè cum nec in ijs impressionis metus cesset, qui tantus in officialibus utpote quibus Reip. cura principaliter non incumbit, non est, imò ne quidem præsidibus provinciarum patriotis fœnebrem pecuniam dare licet, quamvis ijsdem ex causâ & favore singulari cum provincialibus suis matrimonium contrahere permittatur *l. si quis officiũ l. eos ff. de rit. nupt.* Hodiè cum provinciarum Præsides jure quidem feudi, attamen perpetuò & quasi hæreditariò territoria possideant & gubernent, ideò mutuum liberè dant & fœnus exercent, prout in Germania experientia testatur, & in Galliâ receptum esse notat *Gregor. Tolosan. in Syntagm. suo l. 22. c. 2. n 27.*

44. Mutuam autem pecuniam fœnebrem accipere

Præsides provinciarum non prohibentur *d. l. 34. §. 1. de R. C.* nisi ut Judices acceperint, quo casu dans & accipiens puniuntur *l. quisquis C. si cert. pet.*

45. Porro filiusfamilias mutuum dare rectè ex peculio suo castrensi vel quasi, imò & adventitio potest *l. cum filiusf. 17. de R. C. §. 1. Inst. per quas pers. cuiq; acquir. l. lis nulla 4. ff. de Judic.*

46. Si vero profectitiam pecuniam filiusfamilias crediderit, mutuum quidem rectè contrahit, sed sibi tantum in factum vel extraordinariam actionem *l. in factum ff. de O. & A. Jas. in d. l. cum filiusfamilias*, patri vero directam actionem acquirit *l. cum oportet C. de bon. quæ lib.*

47. Mutuum quoq; accipiendo non minus quam alio quocunq; modo contrahendo olim filiusfam. obligabatur *l. 19. ff. de O. & A. l. fin. ff. de V. O.* Sed postmodum SCtum Macedonianum in odium improbi Macedonis omniumq; fœneratorum latum, eoq; cautum est, ut ejus pecuniæ mutuæ nomine, quæ filiofam. in sacris paternis constituto credita est, non detur actio neq; in patrem nec in filiumf. etsi is patriâ potestate liberatus sit *d. l. 1.* quod etiam in filio familias per dignitatem patriâ potestate liberato locum habet *Nov. 81.* Is enim modus solvendæ patriæ potestatis filiofam. quoad commoda conducit, non vero eidem beneficia filijsfamilias competentia adimit *Bart. in l. item ff. de excus. tut. l. 3. ff. de his qui sunt, sui vel.*

48. In tantum autem SCtum prædictum patri succurrit, ut is nummos à filiofam. mutuò acceptos & solutos extantes vindicare, malâ verò fide consumtos condicere possit *l. sed etsi 9. §. 1.* Sin verò bonâ fide consumpti nummi, vel à tertio eâ mente ut creditori solverentur dati donative fuerint, condictio cessat *l. 14. ff. de R. C.* quæ lex hoc modo accepta conciliari eleganter cum *d. l. sed etsi* ...st.

49. Cum

49. Cum vero SCtum de pecuniâ tantum numeratâ expresim loquatur, ad alias res fungibiles extendi nequit, nisi fraus SCto facta sit *l. 1. ff. ad SCtum. Mac. l. item §. mutui ff. eodem l. 1. C. eodem.*

50. Competit autem ex hoc SCto resultans exceptio non tantum filiofam. sed & filiæf. imò & patri, nec non fidejussoribus, qui non donandi animo fidem suam interposuerunt, *l. sed si §. 3. l. item §. quanquam ff. & l. 6. C. ad SCtum Mac.*

61. Cessat verò in casibus pluribus prædicti SCti beneficium, videlicet si filiusfam. se patrem simulaverit & pro patrefam. publicè habitus fuerit *l. 3. ff. l. 1. C. ad. SCt. Mac.* Si militiæ studiorumve causâ mutuum necessarium acceperit *l. 7. ff. ad SCt. Mac.* Item si castrense peculium habeat *l. 1. h. t.* Item si pater expresè vel tacitè consenserit, *l. 2. 4. l. fin. C. ad SCtum Maced. l. si tantum ff. eodem.* Item si mutuum in patris rem versum sit *l. 7. §. 12. ff. eodem.* Item si filiusfam, paterfam. factus debitum agnoverit *l. 7. §. fin. ff. ad SCtum Mac.* Item si à minore pecuniam mutuam acceperit, adversus quem veluti pariter privilegiatũ filiof. exceptio SCti Maced. nõ datur *l. 1. §. fin. ad Sctũ Mac.*

52. Extra prædictos aliosq; similes casus filiofam. beneficium SCti prædicti in tantum competit, ut licet ei renunciatum sit, nihilominus tamen eo uti liceat *arg. l. 13. ff. ad SC. Mac.* maximè cum salutem publicam imò & favorem patrumfam. concernat, & ob id juri publico prout & juri patrifamilias quæsito privato filij pacto derogari nequeat *arg. l. si unus §. pacta ff. de pact. l. fin. C. de non num. pec. Bart. & Castal. in l. 40. ff. de condict. indeb. Connanus 7. Comm. 2* Quod quidem quoad jus patri ex hoc SCto competens verum est. Ast si filius justæ ætatis sciens prudens beneficio huic renunciarit, eodem salvâ honestate vix uti pote-

poterit, & certè cum filiusfam. solvendo, pignori dando, debitum agnoscendo, similive modo SCti beneficio se privare possit *l. 7. §. fin. l. 9. ff. ad SCtum Mac. d. l. qui exceptione ff. de condict. ind.* ratio certè nulla est, cur idem in expressâ renunciatione locum non habeat, & tum maximè procedit, si renunciatio jurato facta sit, quo casu in foro poli quod appellant filiumfam. promissioni suæ contravenientem mortaliter peccare plerique Interpp. contendunt, Ast ut distinctio ipsa inter forum poli & forum fori juris ratione certâ nullâ nititur, ità nec in hujus quæstionis decisione quicquam operatur, sed filiusfam. utroq; foro obligatur: Jus namq; ipsum & justitia ubiq; una & constans est, nec quicquam justum censeri in exteriori foro potest, quod conscientiam sanciat, vel à polo deviat licet processus in utroq; foro sit diversus *Didac. Covarruv. de matrim. tom. 1. part. 2 c. 2.*

53. Mulier deniq; mutuum rectè dare & accipere potest *l. 4 §. 1. ff ad SCtum Vellei.* nisi intercedendi animo mutuum accipiat, quo casu SCti Velleiani beneficio tuta est, *l 1. l 2. §. 1. Ad SCtum Vellei.* adeò ut licet beneficio huic mulier renunciet, tamen eodem uti non prohibeatur *arg l. 22. C. ad SCtum Vellei. l 19 ff de novat. Gomez. variar. resol. c 2. n. 17. Ranchbar. l 1. quæst. 34.* Si tamen mulier de beneficio suo sufficienter prænonita, vel etiam in judicio publico vel jurato renunciarit, audiri exceptione SCti non debet *Gail. 2. observ. 77. VVesenb cons. 15. n 27. Modest. Pist cons. 19 part. 2. n. 3. Zanger de except. part. 1. c. 9 n. 42.* Vim quoq; juramenti renunciationi, quæ fit an Eides Statt complures interpp. tribuunt maximè inter nobiles & Principes *Coler de proceß. execut. part. 1. c. 10 n. 241. Ioan. Daut, in repetit. c. quamvis part. 3. n. 23 & seqq de pact. in 6 Franc. de fidejussor. c. 5* Secundum quam sententiam sæpius in facultatibus juridicis pronunciari & jus dici constat.

FINIS.

(1)

DE VERA ET GENUINA MUTUI ET IMPRIMIS NUMMI ESSENTIA.

RESPONDENTE

MATHIA KLEIST Nobil. Pom.

I.

PLinius beatum illud seculum deprædicat, quo homines nihil aliud, quàm quod terra ipsa ubere fœtu producebat, concupiscebant, eoq; se invicem juvabant. Quo seculo nobis si vivere liceret, ESSENTIA MUTUI, cum in quavis re fungibili tum vero imprimis Nummo crebrius hunc contractum subeunte, indagatu facilis esset. Constaret enim ea in quantitatis certæ datione & justâ ejusdem ac proportionabili in genere eodem restitutione.

2. Materiam, & formam hanc ipsa natura subministrat, usumq; mutuum præscribit.

3. Ast postquam humana solertia ultroneo terræ proventu haud contenta, viscera interiora rimari, & exindè malorum irritamenta metalla, aurum, argentum, æs effodere, & eruere cepit, prava habendi libido simùl succrevit, & in tantum excrevit, ut pecunia indè conflata regimen & dominium in proprios inventores & possessores sibi affectârit, undè ab ipso Ecclesiastico pecunia Regina mundi dicitur, & vulgato Proverbio laudatur Nummus quasi Rex inter omnia summus.

4. Ut verò Rex legum terminis se continens felicitèr dominatur, eosdem verò perrumpens & affectibus indulgens in Tyrannum degenerat, ità Nummus bonâ intentione humanis necessitatibus quasi Rex præfectus, dùm legibus suis se metitur, laudabile regnum repræsentat, easdem verò negligens, & ad cujusq; privatam avaritiam se accommodans, & deflectens, Tyrannus pessi-

 mus evadit, & politicum regnum miserè devastat, defœdat ac diripit. Aristoteles V. Ethicorum c. 8. Monetam mensuram universalem appellat, quæ πάντα μέτρει, quæq; precia rerum inæqualium ad æqualitatem revocat teste Cælio Rhodigino *lib. 12. Lactant. c. 49.* Mutatâ verò mensurâ rerum omnium, omnia quoq; reliqua mutari necesse est.

5. Experta est hoc ipsum Germania nostra, quæ, quamvis internis dissidijs, latrocinijs afflictissima hactenùs fuerit; sola tamen occultè repens & glisens aulas magnatum inficiens imò omnes angulos perreptans Tyrannis seu potiùs pestis ac lues monetaria plus damni, quàm tota moles bellica intulit.

6. Hanc Tyrannidem nupera edicta Cataclismo universali, alij podagræ, gangrænæ, alij morbo incurabili, & Bodinus suo tempore corpus morbidum ἀνέλπιστον appellant. Et certè malum aliud vix potest adeò cogitari pestiferum, virulentum & noxium, quod non Tyrannis hæcce monetaria longo post se intervallo relinquat. Eò enim res devenit, ut in hac cotidianâ jactatione monetæ, & pertinaci rei nummariæ ἀπιξίᾳ, ut nemo quid & quantum possideat, scire possit. Est quidem pestis hæcce, proh dolor, non nova, sed à JEHOVA ipso in Prophetâ Amos c. 8. & Ezechiele subindè veluti malum detestandum taxata. Romana Respubl. Dictatore Q. Fabio eandem fortunam est experta, quando Hannibale urgente asses olim librales pridem sextantales facti, unciales redditi & paulò post L. Papiria in semiunciales, redacti quod analogicè ad Thalerum computatione initâ idem est, ac si Thalerus unus primò pro 6. deindè pro 12. tandem pro 24. obtruderetur. In Germaniâ & Belgio ante 134. annos Maximiliano I. imperante nummus ultra quadruplum justi precij excrevit, teste Meterano; In Galliâ ante 300. annos Anglis ibidem dominantibus ultra octuplum Pesti huic curandæ & Tyrannidi coercendæ omni ævo Reges non tantùm, sed & Principes, ad quos cura ista imprimis pertinebat laudabilem operam impenderunt.

7. Romani triumviros monetales constituisse, ijsq; rei monetariæ curam demandasse *Pomponius l. 2. §. deindè* notat. Marcus Gratidianus cum nummarias Leges à multis negligi, à multis ignorari, à plerisq; jura tantùm, vel etiam sublimiores scientias proponi

ni cerneret, ipse Scholam monetariam aperuit, veram nummi sub- 19
stantiam publicitùs juvenibus proposuit, eoq; populum Romanum in tantum demeruit, ut is ei statuam in omnibus civitatis vicis erigi & ad eandem thus & cereos accendi jusserit *Plin. & Cicero lib. 3. offic. Bod. lib. 6. de Repub. c. 3.* Galli quanto studio tempore Philip. IV. pulchri cognomento occurrerint *Paulus Æmilius* refert, &, idem studium in Carolo VI. Molineus laudat, in Maxiliano Meteranus commendat, & acta Imperij loquuntur. Tandem Carolus V. Imperator & Ferdinandus Rex Romanorum in publicis Comitijs Anno 1551 & 1559. manum huic rei admoverunt salutarem, & constitutione Imperiali promulgatâ Essentiam veram Nummi, quoad materiam & formam dilucidè & evidenter proposuerunt. Ea forma insequentibus Comitijs tàm universalibus, quàm particularibus circulorum comprobata est, & imprimis Anno 1568. in circulo inferioris Saxoniæ res hæcce sub incudem revocata ad justam συμμετρίαν est redacta. Ab eo verò tempore malum hocce ultra 50. annos latuit, nisi quod uno saltem solido Thalerus excreverit; Verùm postquàm Aquila Romani Imperij à proprijs suis membris affligi & deplumari cepit, idem malum simùl recruduit, & cum alijs pœnis publicis totam Germaniam invasit, eoq; periculosiùs effectum, quò potentiores Patronos & fautores nactum est, aurigantibus ipsi Avaritia & Impudentia, quarum illa quò plus capit, tantò magis cupit & captat, hæc torrentis instar, rupto repagulo legum, liberè grassatur. Oleum verò Camino affundunt JCti nonnulli, qui dùm nec mutui, nec nummi substantiam rectè considerant, monstrosis opinionum illecebris & principum & judicum mentes fascinant, confusiones fovent, remq; disputationibus perplexis adeò dubiam reddunt, ut ex diversis suis opinionibus diversas & contrarias Constitutiones in vicinis Regionibus & Provincijs fabricent, ac pro justis legibus publicent & mutuum, quod re certâ contrahitur, incertissimum & varium efficiant, & non ampliùs re, sed verbis, & quidem non juridicis, sed malicià hominum invectis & fictis æstiment. Malo huic tollendo in superis & inferis conventibus quantum temporis, operæ & sumptuum impensum sit, citra obtentum ejus, quod anxiè quærebatur, notius est, quàm ut dici mereatur.

8. Quamvis itaq; vanus & frustraneus hic hominis privati labor, periculosa & πολυπραγμοσύνης suspicioni obnoxia sollicitudo esse videatur, & satiùs forsàn sit in hisce decumanis fluctibus navarchos imitari, qui, ne vi procellarum si resistant, pessundentur, cedunt, carbasa convolvunt, antennas dimittunt, malos & funes concidunt, & navim Dîs, ventisq; relinquunt. Medicinâ nondum excultâ apud Babilonios aliasq; gentes in more positum fuisse legimus ægrotantes in publicis locis collocari, omnium prætereuntium oculis exponi, & à quovis etiam hortulano vel pagano remedium scisciscitari. Mos hic nondum atram notam meruit. Cum itaq; morbus hicce Epidemius in propatulo sit, omnium oculis obversetur, ab omnibus deploretur, medicina optetur, nemo, ut opinor, mihi vicio vertet, si in numero prætereuntium me sistam, & si non panaceam vel pancrestum applicem, attamen mali originem & causam ostendam, adeoq; medici potentis operam efficacem provocem.

9. Digna certè res, quæ in aulâ & Palatio Principis tractetur, discutiatur, decidatur. Quotidiana alta & magna *Cyn. in l. 3. n. 3. de Reb. cred. Brun. de monet. l. 23. ff. de lib. leg.* Utilis, lucrosa, nervosa *Hieron. de Cævalloſ. in ſpec. aur. quæſt 101.* necessaria, difficilis *Bodin. 1. de Rep. c. 10. Arnis. de jur. maj. lib. 2. c. 2. Ferd. Vasq. lib. 1. cent. 2. n. 7.* pulchra, jucunda, cotidiana *Gutierez. quæſt. pract. 179.* adeoq; diligenti & accuratâ discussione dignissima. Summa est dementia inquit Seneca, in tantâ temporis egestate supervacanea discere. Fatuitas summa, jus abolitum, defœcatas antiquitatum quisquilias scrupulosè indagare, in non necessarijs incanescere, & decisiones quæstionum cotidiè occurrentium ignorare.

10. Cum itaq; Quæstionibus monetarijs omnia fermè Judicia scateant, imò crepent, & tamen in earum decisionibus Judices tàm diversis legibus & opinionibus utantur, ut in unâ Provinciâ, in unâ Civitate, imò in uno judicio non semper jus idem dicatur, attamen omnes istæ dubitationes à *JCto in l. cum quid ff. de Reb. cred. l. 1. ff. de contrab. empt. & in l. Paulus ff. de ſolut.* dilucidè decisæ & expeditæ sint, operæ precium me facturum spero, si earum veram & genuinam interpretationem, usum & applicationem proposue-

posuero, adeoq; veram mutui inprimisq; Nummi seu pecuniæ numeratæ substantiam demonstravero.

11. Nominis denominatio & origo ad ejusdem cognitionem viam aperit.

12. Pecuniæ vox latissimè patet, & non tantùm aurum, argentum & æs, sed & quasvis res mobiles, imò quicquid in patrimonio nostro consistit, ambitu suo complectitur. *l. pecuniæ ff. de V. S. Bart. in l. cogi ff. ad SC. Trebell.*

13. Dicta autem est pecunia à pecudibus, in quibus divitiæ prisci seculi consistebant. *l. 45. 178. l. 222. ff. de V. S. ibi Goddæus. DD. in l. 1 §. an potest. ff. de constit. pecun. l. quisquis. ff. de leg. 3. Alex. in l. singularia. in l. 2. §. item. ff si cert. pet.* Vel etiam exindè dicta, quod pecunia primis temporibus pecudum effigie signatâ fuerit.

14. In specialiori verò significatione pecuniæ vox ad res fungibiles refertur *l. Legata 19. l. tales 30. ff. de legat. 1.* Deniq; in communiori loquendi usu verbum Pecuniæ ad numeratam pecuniam restringitur *l. 1. §. sed etsi §. pecuniæ ff. ad SC. Maced. l. 4. & 5. ibi Godd. ff. de V. S. c. putant quidam 14. quæst. 3.*

15. Pecunia hæcce numerata dicitur à numerationis actu, quo vulgariter expenditur, & modò Nummus quasi νόμος, numisma à νομίζειν à sanciendo, Moneta à monendo (quod sc. fraudem à pecuniâ abesse debere moneat *Isid. lib. 15. c. 17.*) appellatur.

16. Originem nummorum antiquissimam & cum ipsis politijs natam esse, cùm ex sacris, tùm prophanis historijs constat. Nonnulli enim ejus inventionem patri Abrahami Tharem tribuunt, *Corras. 3. miscell. c. 13.* alij Saturnum, alij Janum, alij Numam Pompilium nummorum signatorum auctores & inventores laudant, imò à Numâ nummo nomen inditum putant, alij ex Plinio ante devictum Pyrrhum nummos signatos Romæ in usu fuisse tradunt. Sed harum opinionum, illa sola vero propius accedit, quæ nummos juti gentium tribuit. *l. 1. ff. de contrah. empt.*

17. Æris autem appellatione nummus subindè designatur, quia Romanorum priscis temporibus æs tantùm in usu erat *Plin. lib 18. c. 3. & lib. 33. c. 3. l. 26. ff. de pig. act.* adeò, ut æris appellatione etiam coreacei nummi venerint *Seneca lib. 5. de benefic. c. 14.* Hodiè

 tantùm ex auro, argento & ære cuduntur *l. 2. §. 3. ff. de O. J.* Stannei & plumbei nummi penitùs sunt prohibiti *l. 8. & 9. §. 2. ff. ad L. Cornel. de falſ.*

13. Definiri poteſt pecunia numerata ſive Monera res mobilis publico juſto valore conſtans, commerciorum inæqualitatem æqualiter dimetiens.

19. Valor juſtus eſt Nummi eſſentia. Conſiſtit autem valor in materiâ & formâ proportionabili. Hæc duo juridicè & habiliter conjuncta rem ipſam perficiunt. Ut enim anima rationalis, forma licet hominis ſit, hominem tamen, niſi in corpore habili, non perficit: ita, ut nummus exiſtat, non ſufficit formâ aliquâ externâ nummum eſſe ſignatum, ſed habili & proportionabili materiæ valorem impoſitum eſſe oportet.

20. Materia ipſa nummi eſt maſſa metallica auri, argenti, æris, non pura quidem (utpote, cum aurum obryzum & puſtulatum *l. in nave 31. ff. locati. Cujac. 7. obſ. 37.* monetis rarò deſerviat) ſed ob commodiorem durabilioremq; uſum & ſumptuum monetalium penſationem *Molin. quæſt 100. n. 777.* certam mixturam habens, non quidem pro Principum Collybiſtarum & Cauponum monetariorum fraudibus faſcinatorum libidine, ſed legibus Imperij publicis definitam, Germanis des Reichs Korn/ das Gehalt/ liga, payement. Huic ligæ ex lege publicâ certa qualitas & quantitas, nimirùm bonitas interior ejusq; legitimum pondus aſſignatur, Quod pondus Germani Schrot oder Stücke appellant. Hæc duo conjuncta materiam valori publico recipiendo habilitant, & certis libris, ſcrupulis, ſiliquis conſtant, & ex communi omnium gentium uſu æſtimationem certam ſecum ferunt quam omnes ſaniores populi Conſtitutionibus ſuis publicis ſequuntur *l. un. C. de Argent. prec. quod theſaur. infert. l. Quoties 5. C. de ſuſcept. præp. & arcar. lib. 10. l. 1. C. de collat. æris lib. 10. Molin. quæſt. 100.*

21. Cum verò auri, argentiq; precium ſubindè variet, *l. cum certum 9. ff. de aur. & arg. Legat. l. ſi quis argentum 35. in f. in verb. Quod pro maſſa C. de donat.* Ideò Imperatores & Principes metallo certum & ipſi communi intrinſeco valori proportionabile precium imponunt.

22. In

22. In hujus justi omnium vel certè plerarumq; gentium proportionabilis precij metallici terminis dùm se Magistratus continent, perpetuam, veram, constantemq; æstimationem retinent. Quo respectu perpetuam æstimationem JCti nummorum dicunt *l. 1. ff. de contrab. empt. l. 3. de eo quod certo loco l. 3. de in lit. jurand.*

23. Alius valor ab hacce proportione degenerans si nummis imponatur, statim dolis, cauponationibus & machinationibus, monetarijs, quibus hactenùs afflicta est Germania, fenestra aperitur.

24. Undè *Faber c. 1. de var. deb. sol.* Æstimationem nummorum in veram & falsam seu fucatam sive phantasticam distribuit.

25. Veram appellat eam, quæ materiæ respondet, & lege publicâ, justâ & rationabili sancita est. Falsam seu phantasticam; quæ materiæ non proportionabili, utpote plumbo, stanno, corio, cortici, papiro, necessitate urgente, vel avaritiâ prædominante imponitur. De Lycurgo scribitur quod ferreos tantùm nummos, Spartanis permiserit, existimans eorum usu avaritiam cohiberi.

26. Ejuscemodi verò nummi extravagantes monetæ nomen non merentur, sed vel sunt tesseræ tantùm, quæ surrogatione justi valoris, necessitate cessante, redimuntur, vel sunt rapinæ, fraudes, quibus impiorum Principum marsupia, cum propriâ, & subditorum pernicie replentur.

27. Quod ipsum ex nummorum in libris nostris descriptorum, & usu communi receptorum diversis speciebus fiet manifestius. Infinitæ verò apud veteres erant species, quas persequi prolixum foret. Inter alias verò apud Judæos Siclus, apud Romanos solidus aureus apud Germanos thalerus, florenus &c. sunt frequentiores.

28. De Siclo Judæorum; ejusq; materiâ & valore non una omnium est sententia. Communiter enim tàm Theologi, quàm Politici inter Siclum communem seu vulgarem, & Siclum sanctuarij distinguunt, & Siclum communem dimidium sanctuarij constituunt, & totum Siclum sanctuarij dimidio Joachimico comparant. *Lyra, Rabbi Salomon, Agricola, Molineus, & post alios Jacob Aleman Conf. 8. quæst. 1. in pr. de Siclo Snellius de re nummar. c. 65.* Verùm rem exactiùs expendenti & sacras pandectas intimiùs scrutanti

 tanti distinctio ista non immeritò suspecta videbitur. Nec enim in sacris ullum istius vestigium extat.

29. Quin potiùs omnis Siclus suo pondere & valore certo circumscribitur duabus drachmis Hebraicis sivè 20. obulis. Cum verò duæ drachmæ Hebraicæ duobus constantes denarijs sive argenteis Hebræis (quod ex libro *Hebræorum Misnasot ostendit Franciscus Ribera*) confecerint tetradrachmum Atticum, ideò Josephus Græcis se accommodans Siclum terradrachmum vocatum ait *lib. 3. antiq c. 9 & 10. lib. 7. de bell. Judac. c. 26.* cui adstipulatur Philo in Decalogi legibus communem errorem ex 70. interpretibus, imprimis (drachmam interpretantibus, quod Josephus tetradrachmum reddiderat) haustum secutus est Alemannus *d. loco.* Ast pandectæ sacræ nullum alium Siclum, quàm justum & sanctuarij, agnoscunt. *Exod. 30. v. 13. Levit. ult. n. 25. num. 3. vers. 47.* Hujus Sicli pluribus locis fit in Codice sacro mentio *Exod. 38. vers. 24. Levit. 27. vers. 5. Num. c. 3. n. 47. & 18. vers. 16. Josuæ c. 7. vers. 21. Judic. c. 7. vers. 26. 3. Reg. c. 10. n. 29. 2. Paralipo. c. 1 vers. 17. 4. Reg. c. 15. vers. 20. 1. Esdræ c. 2 vers. 69. & alijs locis.* De hoc Siclo Ezechiel. *c. 45. v. 12.* loquitur, ubi tamen de Siclo vulgari in commercijs recepto eum verba facere contextus totus satis arguit, & hinc distinctionem prædictam reprobavit ante seculum Robertus Senalis Abricensis Episcop. in opere suo erudito de verâ mensurarum, ponderumq; ratione. Eundem secutus *Joan. Chochier de re num. c. 2. post Villalpandum & noviſſimè Franciscus Ribera in Proph. Amos* hanc sententiam propugnat & demonstrat, Siclum sanctuarij non fuisse ab alio Siclo vulgari distinctum, sed ad Siclum sanctuarij Siclos omnes fuisse velut ad perpetuam normam reductos. Nam cum Siclus, prout hoc perverso seculo subindè fieri videmus, à malicioſis hominibus corrumperetur, quandoq; etiam ab avaris & iniquis exigeretur ponderosior, ideò Siclus justissimi ponderis adservatus fuit in templo, ut mensura esset reliquorum nec avarorum hominum calliditatibus locus relinqueretur. Ad hunc Siclum ceu ad normam in dubio recurrebatur. Perindè uti hodiernis moribus probationes nummorum per Zigostatas seu guardinos fiunt. Sic olim Romæ pedis mensura in publico locò servabatur, cujus vestigium ibidem etiamnum hodiè, sed in horto privat

vati visitur *Ribera d. c. 8.* Simili modo congij quoq;, item modij 25
cum sextarijs & ponderibus in publico adservabantur, imô in Ecclesijs recondebantur *Novell. 128. c. 15. l. 9. C. de suscept.* Sic in hac Republ. ulna ad curiam & templum cernitur, & rectè putat Heresbachius utile futurum, si in omnibus Rebuspub. & præfecturis extent velut archetypi ponderum & mensurarum *lib. 2. de erud. princip. c. 14. pag. 129.*

30. Siclus itaq; templi, ut rem contrahamus, nihil aliud est, quàm Siclus justi ponderis, quem, si Germanicè exprimamus, dicemus voll vichtig / vollgüldig / vnvorringert etc. Confirmat hoc ipsum Moses Gerundensis dum scribit, se Siclum dimidium vidisse cum inscriptione Haasekel, i. e. dimidius Siclus, qui, si vulgaris in usu fuisset, rectiùs insignitus fuisset communis Siclus, notat: *Deut. 19. ad Matth. c. 17.* Hæc si quis ad hodiernum usum accommodet, dicere haùd inconvenienter poterit Siclum sanctuarij nos habere reconditum in edictis monetalibus, quæ volunt, ut octo Thaleri seu *16.* sicli constituant Marcam argenti. Marca verò continet argenti fini seu puri Lothones seu semiuncias 14. & 4. grana.

31. Siclum quoq; vel certè ejusdem imaginem habemus non tantùm in Thaleris & grossis nummis, sed & bisolidis grossis nummis, quibus omnibus sua liga edictis monetalibus dicta est *Constit. Ferd. Anno 1559. Maximil. Anno 66. Tileman.* Friese Münßspiegel *lib. 4. c. 3. Budel. lib. 1. de monet. c. 16. Goldast. cathol. rei monet. t. 35. p. 122.* Hæc sicli seu nummi majoris & minoris liga si sanctè observaretur, non laboraremus. Deus præcipit ad legem sanctuarij dependi, Princeps bonus præcipit ad legem imperij solutionem fieri.

32. Hæc omnia ad quasvis nummorum species rectè applicantur.

33. Aureus namq; omni tempore suam certam materiam, pondus & formam habuit.

34. Tempore Julij Cæsaris & sequentium aliquot Imperatorum erat quarta pars unciæ, successu temporis ejus bonitas est imminuta ad 6. unciæ partem. *l. quoties C. de suscept. præpos. & arcar. lib. 11.* quam rectè restituit ex *Cod Theodos. lib. 12. lib. 13. Covarr. de veter numis. potest. c. 3.* Hi aurei in jure nostro dicuntur solidi, non à solido seu auro obryzato & puro, utpote cum constet etiam ve-

teres aureos aliquid mixturæ habuisse *Covarr. dict. loco;* sed solidi quasi integri intuitu scil. semissium, trimissium aureorum, qui tempore Divi Severi, Lampridio teste, cusi sunt. Atq; ita vox solidi pro integro in legibus nostris sumitur *l. pater §. 1. ff. ad l. Falcid. l. qui solidum ff. de leg. 2. l. solidum ff. de solut.* Solidos autem & aureos in jure promiscuè sumi apparet *ex §. f. Instit. de pœn. tem. litig. junctâ leg. pen. & fin. ff. de in jus voc.* idq; pluribus demonstrat *Aleman. quæst. 8. part. 9.*

35. Non tamen solidi & aurei semper ejusdem bonitatis fuerunt, sed eorundem diversis temporibus diversa fuit computatio *Budel. lib. 1. c. 22. Aleman. Palest. quæst. 8. p. 11.*

36. Regulariter verò tàm de jure civili quàm ex Constitutionibus Imperatorum Ferdin. *de Anno 1559. & seqq.* aureis est certa liga & pondus ut nimirùm 72. libram conficiant, & aurei puri 18 caracta, 16 grana habeant; Idemq; confirmatur *Constit. Imp. 1576.* Hac computatione rirè initâ, constat, ex Marcâ puri auri fabricari posse 93 Rhenanos aureos. Ducatis sive Ungaricis pariter est liga certa dictis Constitutionibus præfinita, & constitutum, ut 67. libram conficiant, & in puro auro 23. caratia & 8. grana conficiant. Quâ computatione subductâ 68 Ducati Ungarici Marcam faciunt.

37. Hodiè, quandò fit mentio aureorum seu solidorum in veteribus diplomatibus & pœnis, regulariter Rhenanos intelligimus, quorum 72. faciunt libram, uti dixi. *Daniel Moll. 1. sem. 37. Geil. 2. obs. 39. Copus decis. 5.*

38. Attamen in casu furti solidus pro Ungarico accipitur teste *Wurmbsero lib. 1. obs. t. 50. de verb. sig. obs. 11. incip. solidus. Daniel Moller. 1. sem. 37. Godd. ad l. 132. de V. S.* Peinlich Halsg. ordnung. *art. 106.*

39. Ad dubitationem omnem tollendam Imperatorijs inhibitionibus & mandatis hodiè inseri solet sub pœna Marck lotiges i. e. gloriges/ sive candentis & in fornace consistentis auri *Budel. lib. 1. c. 23.* aliter tamen vox lotig sumitur in argento, ut videre est apud *Tilen.* Fries. *lib. 4. c. 8.* Et Marca hujusmodi in Camerâ sumitur pro 72. aureis Rhenanis, atq; hoc certam cum habeat interpretationem

tionem, ulterior indagatio erit frustranea *Copus dict. decis 5. And. Knich. in Comment. ad jus Sax.* 27

40. Coronatos Gallicos multi putant veteribus solidis proximè accedere, quorum nunc ex lege Imper. 69. Marcam faciunt, licet accuratiori computatione 73. ex Marca redigi posse putent.

41. Coronati hi in libtis Interpretum dicuntur vulgò scuta, non quidem, quod veluti scuta milites à vulneribus, ita coronati homines à necessitatibus tutos reddant, ut voluit *Hieron. Lucens de Camb. n. 7.* Sed haûd dubiè à scutis, sivè imaginibus Principum Coronis imprimi solitis, vel à scuti similitudine *Sigism. Scaccia de Commerc. & camb. §. 2. glos. 3.*

42. Porrò aliæ quidem complures nummorum aureorum species receptæ sunt in Romano Imperio, utpotè Rosæ nobiles, Portugalli, Crosati, Milresij & similes. Sed istas omnes species recensere supersedemus. Isto enim labore nos, sublevârunt *Freherus, Tilemannus Frise, Budel. & alij.*

43. De duabus tantum nummorum speciebus Florenis nimirûm & Thaleris pauca adjiciam. Horum enim nummorum & voces & res diversimodè in commercijs considerantur vel verè, vel imaginariè, &, ut mihi liceat ita loqui, physicè vel phantasticè.

44. Florenus nomen suum sortitus est ab anreis Florentinis, qui ante annos ducentos in frequenti usu erant cum circumscriptione FLORENUS. Hi Floreni tanquàm imperiales per totam Germaniam exponebantur, Et quidem ex auro cusi erant, undè Germanicè Gülden dicti (quamvis nonnulli gulten à gelten derivent) Ast cum Floreni aurei sensim in valore extrinseco crescerent, adeoq; valor eorum incertus esset, imò ipsi Floreni in usu esse desijssent, valor eorundem qui erat 24. solidorum in usu, in commercijs mansit, atq; ita vox Floreni usurpari cepit pro certâ nummorum quantitate, nec tamen ea quantitas solo nomine, sed & certis corporibus, nimirûm 24. solidis justam ligam certumq; pondus habentibus constat, & ex lege Imperij ad Marcas redigitur, ut, quamvis species non sit certa, quantum tamen auri vel argenti unusquisq; pro florenis vel thaleris alijsq; nummis stipularetur & debeat, liquere possit.

45. Florenum hunc Rhenanis æquipolluisse verisimile est,

 hodiè vero Gülden Reinisch pro Floreno, qui 15. Batzijs, constat sumitur. Rhenani dicuntur, quod à Principibus circuli Rhenensis primò cudi ceperint, sive, quod ex auro ex arenis Rheni collecto cusi primò fuerint. Ex hac diversâ appellatione & usurpatione Florenorum de antiquarum obligationum, litterarum, privilegiorum interpretatione sæpiùs magnas controversias subortas fuisse, ex Interpretibus constat. Quæ res eò dubitationis pervenit, ut in Saxoniâ publicis constitutionibus hanc controversiam decidi oportuerit *Const. Sax. p. 2. const. 29.* Receptissisima verò est opinio, quod verba Gülden Reinisch in obligationibus posita usuales & vulgares tantùm Florenos denotent. *Geil. 2. obs. 123. Mynf. 3 obs. 29. & 83.* Quod etiam obtinet, etiamsi Epitheton, gute Reinische Gülden additum sit, *Consil. Saxon. part. 2. c. 29.* Quâ tamen in re distinguendum inter tempora, mores & provincias. *Vid. Mynf. 1. obs. 63. Consult. Sax. p. 3. cons. 18. Wehner. pract. obs. voce* Goldgülden. Si tamen Epitheton aliquod, speciem denotans, additum reperiatur, Vnd gute / vollwichtige vel Goldgülden in Goldt: Item, Goldgülden / so genug sein: Verba talia Rhenanum aureum in auro designant. *Thoming. decis. 15. n. 12. Modest. Pistor. cons. 27. n. 11. Mynf. dd. locis. Marin. Garrac. de Monet. n. 3.* Temporis quoq; ratio in explicatione vocis Floreni inspicienda est, undè in quæstionis de reluitione, decisione Camerales pro Florentino floreno 25. Batzios adjudicasse *Mynf. 4. Obs. 1. notat.*

46. Uti verò in Florenis, ita & in Thaleris contigit, quorum originem si scruteris, constat Sigismundum, Archiducem Austriæ, Anno 1484. primo nummum Thalero similem duobus Lothonibus seu uncia constantem cudisse. Eundem Misniæ duces secuti, & tandem argenti fodinis in valle Joachimicâ ubere proventu argentum generantibus primò Comites Slikiani Anno 1520. deindè Rex Ferdinandus magno numero nummos crassiores argenteos emiserunt, qui à valle istâ Joachims Thaler dicti sunt *Georg. Agricola lib. 1. de pond. & mens.* Et posteà omnes jure monetandi gaudentes eodem jure usi sunt, & nummos ab ijs qui crebriores in usu erant Thaler appellati sunt. Frustra agunt itaq; , qui in aliâ notatione indaganda solliciti sunt, quorum alij Thalerum à Talento, nam crassi nummi dicti fuerunt Pfündig / alij à Θάλερος, quod viridis,

flori-

floridus designat, seu quod floribus insigniti nonnulli essent, vel 29
quod homines florere facerent, Thalerum dictum putant. Anno 1551. Carol. V. istud genus nummorum abrogavit Ferd. Anno 1559. certo modo admisit tandem Anno 1566. denuò Thaleri publicâ constitutione probati & primò sancitum, ut 8. Joachimici Marcam conficiant, & in puro argento 14. semuncias, 6. grana habeant, quæ tamen ad 4. grana remissa sunt.

47. Ex hisce satis liquet Thalerum corpus seu speciem certi nummi denotare, idemq; probat *Budel. lib. 2. c. 25. & c. 2 n. 7. Knich. de jure provoc. nescioc. 5. n. 350.* Et si in integritate suâ Thaleri analogici & proportionabiles mansissent, quæstiones monetariæ de Thaleris in specie, vel in monetâ solvendis planè cessarent. Verùm uti in Florenis, ita & in Thaleris evenit, ut ob minorũ nummorum imminutionem valor corporum subindè creverit, atq; ita inter Thalerum currentem, & Thalerum in specie distingui ceperit. Quæ quidem distinctio cum varias ante 40. 30. 20. annos pareret controversias, tandem Anno 1610. in conventu inferioris circuli probata, & ab eo tempore inter Zahl Thal vnd Reichs Thal. distingui cepit. Sed illa distinctio confusionem monetariam perniciosè fovit, & multis creditoribus pro Thalero ante 20. 30. annos credito dimidium, nonnullis quadrantem, nonnullis minus obtrusit. Memini sæpius de obligationibus, quibus Thaleri sine voce Reichs Thal. vel in specie harte Reichs Thal. promissi erant, fuisse controversias motas, quas distinctione temporis adhibitâ decidendas puto. Si enim debitum ante 20. 30. & plures annos fuerit contractum, tum certè per Thalerum, imperialem intelligi certum est, utpote cum nulli alij Thaleri tùm temporis cogniti fuerint. Sin verò ab eo tempore obligatio inita fuerit, quo distinctio ista inter Zahl Thal: & Reichs-Thal. in usu esse cepit, vox Thaler pro usuali interpretanda est, ita tamen, ut & valoris istius bonitas ad tempus contractus redigatur, ut infrà latius dicetur. Solent quoq; nummi credi ad certas Marcas, quâ occasione & de Marcis pauca adjiciemus. Vox Marcæ apud classicos auctores vix est ut reperiatur. In jure tamen Canonico extat *l. Constitutus X. de procurat. l. 2. X. de Arbitr. c. cum pridem X. de pact. c. quanto X. de censib.* Diversimodè autem sumitur vel pro certo pondere auri & argenti, vel pro certâ nummorum quantitate.

48. Et quidem Marca auri constat 24. caractis seu caratijs seu siliquis (siliqua *namq; cum caratio idem est, undè Accurs. errat dum in l. un. C. de impon. lucrat. descript.* siliquam *pro solido accipit*) constat. Unumquodq; Caractum 4. habet grana, quodlibet granum tres grenas, atque ita quælibet Marca 288. grenas conficit. Regulariter in jure Marca pro 72. aureis sumitur.

49. Argenti Marca constat 8. uncijs seu 16. semuncijs, i. e. Lothonibus sive 32. denarijs. Ideò 8. Joachimici Marcam conficiunt. Marca autem argenti cusi mixturam habet, & puri argenti tantùm 14. Lothones, 4. grana continet, ideò ex puri argenti Marcâ novem Joachimici cuduntur *Budel. lib. 1. c. 23.* Semunciæ sive Lothones singuli continent 4. drachmas Quentlein. Duæ verò Marcæ conficiunt libram Regiam. Quomodò verò Marcæ variârint, notat eleganter *Tileman.* Friese *lib. 4. c. 7. & seq.*

50. Jure civili Marca argenti 5. aureis, proportionead aurum habitâ æstimabatur *l. un. C. de argent. prec.* Quamvis aliàs regulariter undecupla vel duodecupla proportio sit auri ad argentum, *vid. Bud. lib. 1. c. 23. Gregor. Tholos. Syntagm. lib. 36. c. 2.*

51. Porrò in minutioribus nummis Marca argenti aliter atq; aliter consideratur. Nam ex septem cùm dimidio semuncijs sive Lothonibus argenti puri cuditur Marca solidorum, undè apparet Marcæ argenti 8. & dimidium Lothones cupri immixtos esse. Constitutione Imperiali de Anno 1551. 1559. definitum est, ex Marcâ metalli dicto modo commixti cudi debere 109. solidos Lubecenses. Sed solidi pondere an Schrot ita decreverunt, ut inferioris Saxoniæ circuli decreto seu potiùs permissu ex unâ Marcâ 180. solidi cusi fuerint. Verùm nondùm modum sibi poni avaritia monetariorum passa est. Quin in tantum imminuti sunt solidi ut ex unâ Marcâ 220. solidi Lub. fabricati prodierint, indeq; factum, ut, qui ante 20. annos 100. fl. crediderunt, nomine quidem centum, ast revera ne quidem 50. receperint. Quæ malicia sub solo velo Marcarum, Florenorum & similium imaginabilium monetarum palliatur. Nummi quidem nunc & olim etiam JCtorum tempore, vel ut quantitas vel ut corpus considerati fuerunt, Attamen & Marcæ imaginabiles suis limitibus circumscripti fuerunt, & certis suis corporibus constiterunt. Priscis temporibus, ubi in hisce locis computationes per

Mar-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0050
DFG

Marcas Lubecenſes initæ ſunt, minutiores nummi erant ex mero argento hohle Pfenning/ Finckenaugen & ſimiles Sträleñpfenning/ & hæc ſimplicitas ac integritas aliquot duravit ſecula, quibus incognita illa cauponatio fuit, ut videre eſt apud *Tilem.* Frieſen *lib. 4. c. 12.* Eſt quoq; licitum dominis Monetarijs minutiſſimos obulos & quadrantes cudere, ita tamen ne ex Marcâ ultra 11. flor. & 5. Crucigeri conficiantur *Conſt. Ferdinand. de Anno 1559.* Sed ſenſim minutorum nummorum bonitas intrinſeca decrevit, & tamen vox Marcæ manſit, atq; ita occaſio fraudibus data. Etſi verò pecunia non in ſpeciebus, ſed in Marcis mutuo detur, non tantùm nomen Marcæ, ſed res, quæ cum nomine datur conſideranda, & ea res in eodem genere reſtituenda eſt.

52. Marcæ pro ratione Provinciarum aliæ atq; aliæ computantur, ut videre eſt apud *Tilem.* Frieß *lib. 4. c. 11.*

53. Alia quoq; ratio computandi erat per Schocken/ quæ etiamnum in quibusdam locis frequentatur *vid. Tilemen. c. 14. lib. 4.* & diſtinguuntur ob minutiorum nummorum depravationem inter alte vnd newe Schock.

54. Veteres Saxones fraudes illas monetarias ignorarunt, nec fœnoribus indulſerunt, ſed nummum ab uſu & effectu æſtimarunt, & tantum valere ſtatuerunt, quantum eo comparari poſſit, Undè Lex Saxonum extat à Lindenbrochio deſcripta his verbis. Solidus eſt duplex. Unus habet duos tremiſſes, qui eſt bos anniculus 12. menſium: alter ſolidus tres ſemiſſes, i. e. bos ſedecim menſium. Weſtphalorum, Angrivariorum & Oſtphalaiorum ſolidus eſt ſecalis ſcefela 30, hordei 40, avenæ 60. Solidos tamen hoſce intellſgit Tilemannus de aureis ſolidis. *Vid. Lindenbroch t. 8. ll. antiquarum Saxonicarum.*

55. Utinam hanc ſimplicitatem ſubſequa ætas imitata eſſet, nos hoc tempore non laboraremus.

56. Porrò prolixum foret, ſi omnes minutos nummos, quorum infinitus eſt numerus, perſequi conarer. Interim hoc notandum ducimus, vocem Schilling / quâ utimur cotidiè, eſſe nomen ponderis & quantitatis. In auro enim Schilling 20. pars aurei eſt: in argento tertia pars ſemunciæ ſive Lothonis, Quæ portio Romanis ſextula fuit dicta. Et quivis ſolidus vel Schilling habet 12.

Pfan-

Pfandungos sive obulos. Pro certo quoq; nummo sumitur tâm in auro, quàm argento. In auro solidus vel Schilling tempore Justiniani adæquavit 2. Thal. uti notat Tilemannus. In argento sumitur regulariter pro certo nummo in 12 partes divisibili. Horum nummorum 20. faciebant libram. Variè fuit solidus argenteus computatus, semper tamen habuit suam certam ligam, nec in solâ imaginatione constitit.

57. Notatio nominis Schilling traditur diversa. Freherus putat Schilling dici quasi siliquam. Ita enim antiquitus fuisse vocem illam scriptam. Siliqua namq; Romanis erat unciæ quarta pars *l. 21. §. filium ff. de annuis legat. auth.* sed hodiè *C. de Episc. & Cler. auth. adhæc C. de usur. ad Longobardos quoq; pervenit. l. 2. & 3. de eo, qui pecul. in damno inv.* Tilemannus à Schellen / quasi Clingen / quod tinnitum ederet, vel ut verisimile est, à schieden schiedling / quasi Schiedepfenning. Vocem verò Pfenninge vel à voce pecuniâ, vel à Pfandung quasi behandung ab apprehendendo & crebriore usu dictam putant. Bazones verò à Bezel quod Ursulum designat; quo à Bernatibus *(qui isto insigni etiamnum utuntur)* dicti sunt, quorum ante complures annos frequens usus fuit. Turnosij à Turonensis civitatis monetâ nomen habent. Heller ab Hallensi officina monetariâ, ex quâ isti nummi magna copiâ prodierunt. Grossi dicuntur nummi respectu obulorum à Gallicâ voce Grossi. Eorum sunt diversi. Argentei ad distinctionem aliorum depravatorum. Mariani ab imagine Matthia. Körtling à decurtatione dictos putant. *Vide Wehneruu voce* Goldgülden. Crucigeri à crucis, Ruppini à corvi signo &c.

59. Hæ & infinitæ aliæ nummorum species à diversis diversa liga cusi, confusiones monetarias omni fermè seculo, uti Tilemannus deduxit, pepererunt.

60. Ex hisce gustum penitiorem nummi substantiam scrutandi me ceu promulside vobis præbuisse, & nullum nummum sola imaginaria quantitate solove numero, sed simùl pondere constare adeoq; in omni nummo quantitatem continuam & discretam contineri & considerari debere, demonstrasse spero.

61. Utraq; hæcce quantitas sive nummi bonitas in benè constitutis Rebusp. certis legibus definita est, adeoq; intentione statuentium

tium perpetua rectè dicitur *l. 1. ff. de contrab. empt.* licet eventum non semper respondere res ipsa loquatur.

62. Bonitatem autem vulgus Doctorum in intrinsecam & extrinsecam dispescit. Quæ distinctio, quamvis ab interpretibus perperam sæpè inducatur, vera tamen per se est. Ast hæ duæ bonitates semper conjunctæ, mutuasq; sibi manus porrigere, & in benè constitutâ Repub. justâ & symmetricâ proportione sibi correspondere debent *l. 2. C. de ponderat. l. 1. C. de precio arg. infer. l. 2. C. de vet. numism. potest. Laudens. de Monet. n. 9. & 12. Geil. 2. Obs 73. Eichard. cons. 46. in pr. vol. 2.*

63. Utraq; hac bonitate integrâ & salvâ manente, mutatio valoris rarius, nisi forsàn copia vel inopia precioſi metalli similive causa emergente vix singulis seculis contingit *Annæus Robert. rer. jud. lib. 1. c. f. Cujac ad l. 59. ff. de V. obl.*

64. Sin verò intrinsecæ bonitati seu ipsi materiæ malicià hominum aliquid subtrahatur, & exindè valor grossorum nummorum, uti Thalerorum, Aureorum, aliarumq; monetarum realium crescat, Mutatio ista non tam auctio vera, quam ad justam & bonitati intrinsecæ symmetricam proportionem reductio rectè dicitur, ut infrà fusiùs dicemus.

65. Hæc omnia licet adeò manifesta sint, ut vel manibus palpari, imò à quovis Laico & rustico discerni queant, tamen proh dolor experimur, existere complures, qui ex solo imposititio externo valore, nullo ad materiam ipsam habito respectu, nummum æstimandum statuunt. Unde ex pravis istiusmodi opinionibus, prout cuiq; Magistratui Consiliarius ad latus est, diversa & contraria edicta provincialia promanant.

66. Hæresis hæcce non hoc tempore primum, sed ante complures annos nata, imò & JCtorum tempore fata *l. 1. ff. de contrab. empt.* suffragatores viros præclaros inter alios *Butigell in l. cum quid ibidem Joh. Fab. Zasius auth. hoc nisi C. de solut n 806. Menoch. Cons. 109. Alb. Brun. p. 1. n. 8 Covarr. de vet. numism. potest.* nacta, quorum partes *Molinæus de usur. quæst. 92. & Hottom. quæst. 15. Donellus ad l. 3 ff. de cred. novissimè Henning. Ronnemannus de sis. cont. mon. th. 18. Elb. Leonin. Consil. 31.* magno, ast vano co-

natu defendere satagunt. Argumenta verò hujus opinationis ad hunc unicum collimant scopum, Substantiam totam & integram nummi cujuscunq; in sola externâ æstimatione consistere, nec in nummo considerari quid ponderet, vel quantum æris vel metalli habeat, sed quid valeat. Ad hanc opinionem stabiliendam primò leges digestorum accersunt, quibus nummorum æstimationem perpetuam esse, & nummos non tùm in materiâ, quàm imposititiâ potestate consistere dicitur *l. 1. ff. de contrab. empt. l. nummis de in litem jur. l. 1. ff. de cond. tritic.* 2. Numinum hinc rebus incorporalibus accensent, & tesseris ac chirographis æquiparant, & ad hunc fucum illinendum adducunt. *L. quisquis ff. de leg. 1 l. planè 34. ff. de legat. 1. l. si is cui ff. de solut. l. sed etsi ff. de acceptil. l. Lucius ff. depositi.* 3. in subsidium advocant. *L. quæ extrinsecus de V. S l. cum aurum ff. de aur & arg. leg. l. Titiæ ff. eod.* 4. Rem ut probabiliorem faciant, ex historiarum monumentis exempla inducunt, quibus probant corium, pannum, papirum, lupinum, imò fabas & cretam ex imposititio valore auri argentiq; æstimationem sæpiusculè induisse *Plinius lib 33. c 3 Budæus de Asse. Gregor. Tholosan. Syntag. lib. 36. c. 2. n. 7. Sixtin. de Regalib. lib. 2 c 7. Zasius cons. 6. Menoch. cons. 19. Molin. quæst. 92. n. 694. Freher. parerg. lib. 1. c. 14.* Quæ exempla evincunt, ad monetæ substantiam parum vel nihil materiam ipsam conferre. 5. Ad hunc errorem incrustandum plurimum facit hactenùs usurpata potestas Principum, qui pro arbitrio valorem nummis imponunt, idq; vigore superioritatis sibi licere adserunt, & JCtos complures hujus palpi applausores habent. *Joan. Fab. in Auth. Nisi debitor C. de solut. Boër. decis. 327 Corneus Consil. 135. vol. 1. argum. l. f. c de vet. numism. potest. L. creditor ff. de solut. ibi Paul. de Castro Petrus Bellug. in spec princip Til. de Monetæ mut. at. Roland. Vallens Consil. 29. n. 26. & Consil 86. n. 19. Cravetta consil. 135. n. 2. Paris. consil. 1 n. 26. Boërius decis. 327. Rosenth. de feud. c. 5. conclus. 48. incip septimo. n. 1. Greg Tholos. de Rep. lib 9. c. 1. n. 3. Menoch. de arbit. jud. quæst. cas. 316. Tib. Decian tract. crim. lib. 7. c. 23. Arnisæ. de jure Majest. lib. 2. c. 7. n. 5.* Quod ipsum non tantùm ad imperij status, sed & alios jure monetandi gaudentes, juris interpretum nonnulli extendunt. *Mar. Laudens. de Monet. n. 8. Joan. Aquila de potest. monet. c. 5 princip p. Carol. Molin. quæst. 82 n. 10. 67. Id-*

67. Idque re & facto Constitutiones Provinciales diversæ evidenter probant, quibus constat, eidem massæ diversum valorem imponi, imò & sancini, ut pro creditis ponderosis nummis alij viliores tempore solutionis pro avaritiâ & libidine dominantium currentes solvantur. Et quidem hoc in nummis maximè minoribus ad Florenos & Marcas creditis prætextum habet valdè speciosum. Nam istos non ad pondus, sed simpliciter ad æstimationem & valorem impositicium credi cotidiana docet experientia, In ijsq; maximè verum esse videtur, nummos in quantitate consistere. Quantitatem autem non corpora ipsa nummorum, sed eorundem æstimationem respicere, imò quantitatem hanc incorporalem esse non realem aliquam materiam continere *argum. l. fius cui ff. de solut. l. cum affirmes. § vers. dato nummo certæ quantitatis C. de lib. caus. l. à Divo §. si pignora ff. de Rejud.* Nec de causâ mutationis sollicitè inquirendum putant, an Nummi, prout navigationes constiterint, vel ut quisq; mercatus sit, vel aliquis prævalens manceps annonam flagellet, creverint vel decreverint *Cujac. ad l. 59. ff. de V. S. Cottman. Resp. 36. vol. 1.* Hic quidem error ita invaluit ut & in commercijs solidos leviores, imò natatiles pariter cum ponderosis valuisse, imò pro ratione signi & imaginis impressæ prævaluisse, & in commercijs eundem, imò meliorem usum, atq; hodiè reductos præstitisse experiamur. Nummus namq; usu valet, teste Horatio:

Nescis quid valeat nummus quem præbeat usum,
Panis ematur olus vini sextarius, adde
Queis humana sibi doleat natura negatis.

Quo respiciens Aristot. 1. Polit. ob id tantùm signatum esse nummum tradens, quò ita charactere impresso ab omni onere commensurationis & ponderationi liberi essemus.

68. Deniq; universali consuetudine receptum esse multi contendunt, quod nummos alios pro alijs solvere liceat. *Bart. in l. Paulus ff. de solut. Afflict. decis. 90. Sichard. cons. 47. lib. 2. Modestin. Pistor. consil. 27.*

69. Hisce & similibus plausibilibus argutijs Politici quidam aulas Principum regentes occasionem cauponationibus monetarijs præbuerunt, sub quibus latentes fraudes, licet jàm satis detectæ

rejectæ, & in benè constitutis Rebuspub. explosæ sint, tamen cum subindè error idem Hydræ resectæ adinstar renascatur, & in scholis, aulis, Curijs Patronos & palpatores reperiat, quàm sit detestabilis & Germaniæ exitialis subjunctis rationibus paucis ob oculos ponemus.

70. Primò enim si nummi originem ab ovo repetamus, Jehovam ipsum ejusdem verum usum in Siclo templi præfiguràsse ex Pandectis sacris liquet. Ast is Siclo non corium, pannum, cretam, similemvè materiam, sed argentum delegit, & quidem non massam aliquam indefinitam, rudem, sed certi & justi ponderis, nimirùm 20 obulis constantem *Exodi 38. verſ. 24. Levit. 27. verſ 3. Numer. c. 3. n. 47. 2. Reg. 12. n. 4.* Ubi pecunia transiens dicitur Gange vnd gebe / quæ paulò post eodem capite *n. 11.* dicitur pecunia ad numerum & mensuram data.

71. In hujusmodi nummis seu Siclis veris, justis & realibus Jehova ipse oblationes sibi fieri, adeoq; etiam salaria altaribus & scholis servlentibus præstari voluit *Gen. c. 37. verſ. 28. Levit. 27. verſ. 123. Num. c. 18. v. 16. Exod. 38. n. 24. Levit. 27. verſ. c. f. v. 47.* & hisce nummis commercia exerceri præcepit *Geneſ. 23. n. 16.* Siclos verò arrodentes imminuentes & pro veris & physicis phantasticos nominales & imaginarios venditantes & obtrudentes, Prophetarum gravi & minaci voce increpat; detestatur & diris maledictionibus devovet *1. Reg. 7. verſ. 1. Jerem. 32. verſ. 9. Eſaiæ 46. Ezech. 45. Amos c. 8.* Quibus maledictionibus obnoxios se reddunt omnes, qui nummum non re, sed nomine, non ex vero, communi omnium gentium, sed singulari avaritiæ æstro fascinato affectu metiuntur.

72. Sanas enim & jure aliquo & lege certâ utentes gentes nummis veris justæ materiæ ponderis eiq; æquipollentis valoris usas esse ex historijs constat, & de Assirijs, Persis, Græcis testatur *Polidor. Virgil. de invent. rerum c. 20. Reuſner. Conſil. 7. lib. 2.*

73. Unde JCtus Paulus nummi originem & verum usum jurigentium tribuit *L. 1. ff. de contrab. empt. DD. in l. Paulus ff. de ſolut. c. quanto X. de jurejur. Molin. quæſt. 92. Bodin. lib. 1. c. 5. Sixtin. de Regalib. lib. 2. c. 7. Budel. lib. 1. c. 5.* Nec ulla fermè gens, cui juris aliqua saltem scintillula affulsit, cuiq; cum alijs vicinis commerciorum societas & communicatio fuit, adeò effera & barbara extitit,

titit, quin verum nummi usum ex ipsius materiæ juregentium impositio precio æstimârit, Undè Solinus refert, etiam barbaros ob mirabilem nummorum inter omnes gentes receptam æqualitatem à Romanis verò vel maximè servatum æqualiter proportionatum valorem Romanorum amicitiam ambisse exemplo Tabrobanis *Reusner. Consil. 7. lib 3 n. 28.* 37

74. Quamvis autem populis Africanis, Abissinis, Æthiopibus uti & Indicis, Americanis Chinensibus Seris ac similibus nummi aliquandiu incogniti fuerint, Historici tamen ex quo commercia cum eis exerceri ceperunt, istas quoq; gentes imò Schytas & Massagetas naturali rationis ductu precium certum in materia preciosa approbasse constat, *& Columbus, Petrus Martyr, Hieron. Benzon* alijq; novi orbis scriptores luculenter testantur. Certè Turcas, Ægyptios etiamnum accuratissimè analogiam & justam proportionem auri cum argento observare testes sunt *Busbequius & Leunclajus.* Et quidem inter omnes sanas gentes nummos non ex potestate impositiâ, sed intrinsecâ bonitate æstimari æqualitas valoris argenteorum & aureorum nummorum per Europam non tantùm, sed & omnes mundi plagas diversissimis Regibus, Principibus, Magistratibus gubernatas, recepta ubertim testatur. Thaleri namq; Ducati Rhenani Germanici in Turciâ, Persiâ, Angliâ, Galliâ, Hispaniâ, Italiâ, Americâ & in omnibus Indijs imò Æthiopiâ & Moschoviâ & contrà. Sultanini & Asperi Drami, Schachi Turcarum *Leunclajus pand. Turc. c. 18.* Amirci Persarum, Portugalli, Milresij, Pistoletti, Hispanorum, Sterlingi solidi Anglorum, Testones Gallorum non ex potestate à magistratu imposita, sed ex bonitate naturaliter eisdem inhærente & communi gentium usu probata in commercijs usurpantur & expenduntur.

75. Saxones licet grossi & simplices habiti fuerint, tamen nummis integris usi sunt *t. 3. c. 85.* Land vnd Lehenrecht alle Pfenning / so man in Teudschland schlegt sollen recht pfündig vnd gewisse sein. *Vid. Goldast. Cathol. monet. t. 16. 18.*

76. Ex hoc juregentium Leges monetariæ libris nostris descriptæ profluxerunt. Lex Cornelia nummos stanneos, plumbeos prohibuit, eosque obtrudentes falsi Reos arguit. *L. lex Cornelia ff. ad l. Cornel. de falsi.* Eademq; ratione *JCtus in l. creditor ff. de solut.*

æroſos nummos reprobat. Conſtitutionibus quoq; Codicis diverſis idipſum liquidò confirmatur. Imperatores etenim *Conſtant. Valent. & Valens in l. 1. & 2. C. de ponderatoribus* Solidos non ex impoſititio externo valore, ſed ex juſto pondere ac qualitate æſtimandos ſtatuunt, & ob id *in l. Quotieſcunq; C. de ſuſcept. & præpoſ. lib. 1. l. 1. & 2. C. de vet. numiſm. poteſt.* nummos eertis Marcis certoq; pondere æſtimant. Julianus imper. *in d. l. 2. C. de ponderat.* per ſingulas civitates Zigoſtatas, quos nos Guardinos appellamus, non ad extrinſecum valorem, utpote, qui ex ſolo aſpectu apparet, ſed ad bonitatem intrinſecam probandam conſtituit.

77. Juri Civili accedunt Canones & Decreta Pontificum & in ſpecie *Innocent. III. C. quanto X. de jurejur.* Ubi in tantum ſententia ſupra dicta erronea improbatur, ut, etſi Rex Arrogoniæ ad patris monetam pondere defraudandam juramento ſe adſtrinx ſſet, tali juramento nullatenus teneri reſcribatur. Idem Pontifex *in C. olim & Gregor. in c. cum Canonicis X. de cenſibus* confirmant. Idemq; repetit *Joan. 22. in extravagante prodiens de crimine falſi: & in dd. locis Canoniſtæ & in ſpecie Joan. And. in d. c. quanto.* graviter aulicos Principibus adulterationem monetariam ſub falſo poteſtatis fuco perſuadentes perſtringit. *Vide Bellugam. in ſpec. Princip. Rubr. 36.* Conſuetudo porrò univerſalis huic opinioni robur addit, quâ receptum eſt, ut nummi non ſolâ externâ imagine, ſed intrinſecâ bonitate æſtimentur. De hac univerſali conſuetudine ipſe Molinæus, licet in hac materiâ nonnunquam præ nimiâ ſubtilitate exorbitet, teſtatur *quæſt 93. n. 73. vel ut eſt in quibusdam codicibus n. 42.*

78. Hanc ſententiam omnes JCti cordati tâm Canoniſtæ, quàm Legiſtæ, tâm in Reſponſis, quàm lecturis probant. *Gloſſ. in l. 1. ff. de contrab. empt. Bart. in l. pen. §. Mancipia ff. de jure dot. & in l. quod te mihi n. 9. ff. de Reb. cred.* ubi ait in pecuniâ materia maximè inſpicitur, & magis ad ſe trahit formam, quàm forma materiam *argum. l. quæſitum §. illud. ff. de leg. 3. arg. l. & eleganter §. Qui reprobos ff. de pignor. act. ibidem Cynus Bald. in l ſi quis argentum C. de donat. l. libera 8. n. 6. C. de ſent. & inter locut. Franciſcus Curtius de Monet. in pr. Covar. c. 7. n. 5. Afflict. deciſ. 90. n. 4. Petrus de Bellugа in ſpeculo Princip. Tit. de Monet. Scurff. Conſil. 60. n. 7. Decianus*

tract.

tract. criminali lib 7. c. 27. alijq; interpretes relati à Vivio in voce Monetarum. *Ferrariens. in form. Resp. libell. pro act. hypoth. §. relaxandam Bodin. de Repub. lib. 6. c. 6.* Et hanc opinionem adeò receptam & probatam *Budel. lib. 1. c. 6.* refert ut contrariam puerilem & ineptam rectè statuat. Alemannus licet in quæstionum nonnullarum decisionibus ab hoc principio aberret, tamen id verum esse rationibus probat *decis. 8. in princip.* Eandem Collega & Præceptor noster honorandus Ernestus Cottman confirmat *Resp. 36. n. 187.* ubi ait, Nummos non sola indicaturâ, valore & cursu censeri, sed vel maximè bonitate intrinsecâ & naturali secundum, quam de imposititicâ & adscititiâ æstimatione & valore exterinseco statuatur *l. 1. verb. materia ff. de cont. empt. &c.* Ex hisce legum fundamentis & Doctorum opinionibus indubitatum exstruitur juris axioma, Non plus valere debere monetam cusam, quàm materia rudis & infecta *DD. in l. 99 ff. de solut. l. 1. c. 10. l. cum aurum §. 1. ff. de aur. & arg. leg. l plane §. si pondus ff. de leg. 1. l. 35. C. de donat. l. 1. C. de ponderat. Bart. in l. qui falsam ff. ad L. Cornel. de fals. Lucas de penna ad t. C. de veter. numism potest. Covarruv. c. 7. n. 5. Petr. de Bellug. in speculo Princip. de maj. Monetæ n. 7. Rub. 36. Bodin. de Rep. lib. 6. c. 6. novissimè Prosp. Farinac. prax. crim. lib. 5. de crim. læsæ Majest. quæst. 115. instr. 11. And. Kohl Exercit. 8. Bocer. de Monet. c. 2. & alij infiniti.*

79. Hoc ipsum probat, quod de Africanis Leo *lib. 3. pag. 141.* scribit, in Fessa antiqua nec aurum, nec argentum cudi, nec annulum nec aliud quidquam ex auro vel argento fabricari posse, nisi metallo priùs publicè signato, Verùm ex metallo ita sigillato quicquid indè conficitur ac si moneta esset, expendi *Freher in notis ad Oresmum verb. Debet esse satis parva.* Hinc Baldus *l. f. C. de fals.* ipsam massam nummi veritatem appellat. Quod nec ipse Molinæus diffitetur, dùm solam imposititiciam illam æstimationem phantasticam nugatoriam & citò aufferibilem vocitat. Hoc in tantum obtinet, ut Legistæ ne quidem mercedem & impensas detrahendas censeant *Anton. de Butr. C. quanto X. de jurejur. Boër. decis 327. n. 3.* licet de consuetudine deductio talis probetur *Petr. de Anch. d. c. quanto. Scurff. cons. 60.*

80. Hanc quoq; sententiam in effectu omnes Doctores probant,

bant, qui in casu contingentis mutationis bonitatis intrinsecæ tempus contractus inspiciendum esse statuunt, quos prolixâ serie refert *Cottman. Resp. 36. & Alemannus quæst. 8.* Quæ quidem opinio adeò probata est, ut ab eâ nemo, ipso *Molineo quæst. 10. n. 749. & Alemann. d. loco* testibus, excepto solo Joanne Fabro, dissenserit. Ex prædicta vero decisione Doctores istos omnes bonitatem intrinsecam vel maximè inspiciendam & exindè de damno vel lucro judicium faciendum esse eos pro certo fundamento præsupposuisse constat.

81. Præmissæ ex jure divino, gentium Civili, Canonico, consuetudinario, desumptæ rationes adeò sunt efficaces, ut non tantùm subditos jure scripto communi utentes, sed & ipsos Principes ac Magistratus jura præscribentes obstringant. Quamvis enim Princeps summus legibus solutus sit, & Regale monetarium liberè usurpet, tamen cum ratio naturalis & gentium usum pecuniæ legitimum induxerit & ex materiæ bonitate æstimârit, isti juri Princeps justus rationi parens rectè se subjectum esse profitetur *argum. l. dignavox C. de LL. l. 1. ff. de contrab. empt. Anton. de Butr. Hostiens. & communiter Canonistæ in C. quanto X. de jurejur. Tiber. Decian tract. criminal. lib. 7. X. de falsa moneta. c. 23. Albert. Brun. n. 5. Scurff. cons. 60. n. 20. cent. 2. Gabriel Byel tract. de Monet. dub. 2.*

82. Ex hoc jure gentium subditi jus quasi quæsitum habent, quod eis invitis maximè nullâ justâ causâ urgente vel suadente aufferri ne quidem ex plenitudine potestatis possit. *L. omnes ff. de just. & jur. l. id quod nostrum ff. de Reg. jur Gabr. Byel: d. loco dub. 2.*

83. Porrò ipsi Principes summi, justi & laudabiles plenitudinem ejusmodi nec sibi unquam usurparunt, nec jus monetandi passim indulserunt, sed sibi velut summum Regale reservarunt *C. un. Quæ sunt Regal. Zasius in Epitom feud. p. 5 n. 14. Rosenth. de Regalib. c. 8. conclus. 48. Sixtin. de Regalib. lib. 2. c. 7. Vultejus de feud. lib. 1. c. 5. Bodin. de Repub. lib. 1. c. f. Knich de privileg. Ducum Saxon. c. 5. verb.* Münz gerechtigkeit *Clapmar. de arcan imp. lib. 1. c. 16. Lælius Lechias in politia lib. 1. c 5. lib. 2. c. 6.* adeò quidem hoc Regale viscéribus Principis adhæret, ut generali concessione non comprehendatur *Recess. imp. de Anno 1576. §* Dadurch dann *ibi.* zu vnserer Käyserlichen hocheit vnd reservaten, imò ne quidem communicari sine consensu statuum Imperij possit *arg. l. 2. C. de falsa monet.*

monet. Maxim. 2. Recess. imperij de Anno 1570. §. Als dann *Wesenb. Consil. 6. n. 31.* nec hujus juris mediatè imperio subjecti regulariter capaces sunt. Cum verò multi id sibi usurpent in Capitulatione Divi Matthiæ & moderni Imp. cautum est, ut Imperator, quantum fieri potest, jus illud monetæ restringat, concessiones casset, uti in Cathol. Goldastus testatur. In signum sublimitatis hujus juris, monetæ nomen tanquàm inseparabilis Majestatis character, inter acclamationes Principibus noviter electis tribui solitum est, *teste Lampridio in vita Severi. Clapmar. de arcan. impe. c. 16.* Cui alludit *Vopiscus* quando duo signa imperatoria proponit, Purpuram & Monetam. Illam ornamenti, hanc potestatis appellat. Ideò Tacitum Imperatorem maximè exindè commendat, quod mixturam æris & argenti sub pœnâ capitis & proscriptione bonorum prohibuerit *Freher in not. ad Orosmum pag. 3.* verbo mixto. Prolixum foret, si hanc sententiam à primis Regibus velut piam, justam & regiminis boni legem fundamentalem agnitam esse probare conaremur. In solâ Repub. Romanorum nos continebimus. Constat Reges primo illud jus velut Regale usurpasse, & quidem Servium Tullium nummos æreos signasse *Plinius lib. 18. c. 3. & lib 33. c. 3.* testatur: Exactis Regibus id jus penes populum fuit *Plinius lib. 33. meminit & refert Rosinus lib. 8. antiquit. p. 2. c. 20. Hott. de LL. Rom. Papiria, Livia, Clodia.* Post constituti Triumviri monetales, tandem hoc jus ex Lege Regiâ in Principem summum transijt *argum. l. 1. ff. de Constit. Princip. Clapmar. de arcan. Reip. c. 16.* Et ab eo tempore Principes Collegia monetariorum instituerunt *tit. c. de Murileg. & Gyn. lib. 11. Corras. 3. Miscell. 13.* Extat & posteritati relicta est beneficio Marquardi Freheri adhortatio Philosophi cujusdam ad Theodosium directa, quâ monetur Imperator, ut opifices monetarios in unam Insulam congreget, à societate contiguæ terræ prohibeat, ne commixtionis licentiâ fraudibus oportuna integritatem publicæ utilitatis obfuscet. Illic enim solitudine suffragante integra fides monetæ præstabitur, ubi nulla erit commercij occasio.

84. Hinc & juris civilis constitutio manasse videtur, quâ disponitur, ut monetarij addicti officinæ monetariæ maneant, neq; ad honores aditus eis pateat *l. 1. C. de murileg. & Gynæ. lib. 11. l. ne quis C. de dig.* quod tamen hodiè secùs esse constat *Budel. lib. 1. c. 23.*

85. Leo Imperator *Novell 52.* antecessores suos, & inter eos Constantinum & Valentinianum *in l. 1. C. de pon. & l. 1. C. de vet. numism. potest.* valdè eo nomine deprædicat, quod monetarum adulterationes, & cauponationes salutaribus legibus cohibuerint. De Imperatore Carolo Magno scribitur, quod ad exemplum Romanorum & vigore suprà dicti Philosophici moniti, omnes monetarum officinas tàm latè patentis imperij in Palatium suum coëgerit, quò accuratiùs in ipsam ligam animadverteretur & falsitas præcaveretur *Bodin. lib. 6 de Repub. c. 3.*

86. Idem Consilium à Sigismundo non tantùm, sed & postmodùm in Comitijs Moguntinis Anno 1541. Friderico III. regnante, habitis ut suprà diximus, reassumptum & velut optimum remedium propositum est imperij statibus, sed necdùm effectui datum. Successor Friderici Maximilianus I. in reformandâ restaurandâ & reparandâ re monetaria summam operam, impendit, & remedium præcavendæ falsitati optimum esse duxit, ut nummi ex metallo puro cudantur, uti Goldastus in Catholico suo probat. Extant Caroli V. de Anno 1551. Ferdinandi de Anno 1559. Maximil. II. de Anno 1566. tam in minutis seu genericis quam grossis nummis constituentia *Goldast. cath t. 58. & seqq.* Imperatorum edicta monetalia certam non tantùm formam, sed & materiam & ligam justam.

87. Laudantur eo nomine Arragoniæ Reges, quod ad regimen delecti in Monetam puram & incorruptam jurare teneantur.

88. De Rege Galliæ refert Renatus Choppinus in politia Ecclesiastica *lib. 3. c. 6. n. 16.* quod licet absolutam Monarchiam venditet, sine consensu tamen statuum monetæ justum precium nec alterare nec mutare ei permissum sit. Unde in Gallijs remedia varia à Consiliarijs excogitata, inter quæ hoc solum prævaluit, ut nummi fine mixtura cudantur, & commercia ad corpora nummorum redigantur.

89. De Turcarum imperatore, licet absoluto domino Bonfinius refert, quod jus monetarium pro sublimi Majestatis signo reputet *Chalcondila lib. 2. & 3. de Reb. Turcicis. Item Annæus Robertus lib. 1. rer. jud. c. 16 refert.* Tamberlanem seu Temirim inter pacis conditiones Bajazeti propositas jus monetæ per totam Turciam sibi

sibi concedi postulasse. Id verò Bajazetem veluti insigne subjectionis adeoq; medium intolerabile repudiasse. Philippum Hassiæ Landgravium refert *Eremund ab Erenb. de Reg. subjcd. c. 8.* crebrò nobilem hanc sententiam usurpasse. Auctoritatem Principis & retineri & cognosci tribus, Probâ monetâ, tuto itinere & promissi fide.

90. Deniq; ut moneta proba bonæ politiæ indicium: ita ejusdem corruptio labascentis & ad interitum vergentis Reipub. certum est præsagium. Idipsum historiarum monumenta luculenter testantur. Inter Antonij Caracallæ teterrimi imperij carcinomatis Actus Tyrannicos recensetur Adulteratio monetæ Xiphilinus in vita Caracallæ. Cedrenus de Imperatore Phoca refert, quod depravatio monetaria maximum detrimentum Reipub. attulerit. Hyppiæ quoq; Athenienſi tale facinus graviter exprobratum fuisse refert *Arist. 2. Oecon.* Hujusmodi Reges & Principes, ad talem malitiam conniventes propriæ dignitatis homicidæ à *Belluga d. loco* dicuntur, quibus cum conspirantes officinarum monetariarum præsides omnesq; adeò nudæ æstimationis in abstracto fictæ defensores plus Reipub., teste Molineo, nocent, quàm si fontes publicos veneno inficerent, *Belluga d. loco.*

91. Depravatio hæcce monetaria sæpè tumultus & seditiones peperit, uti de Rege *Hinrico Danorum Crantz. lib. 8. c. 9. & Rege Joanne Bohemorum Joannes Dubravius lib. 22. historiarum notant Bodin. lib. 6. c. 3.* Hagetius in Chronicis Bohemicis Uratislaviæ Anno 1580. editis pag. 118. memorabilem historiam de Boleslao Gehennæ Duce Anno 984 reguante refert, quod moribundus filium suum hisce verbis fuerit affatus: Dilige denarium, sed parcè dilige famam. Res enim publica, licet nimis adaucta per formam numismatis falsam citò erit ad nihilum redacta. Certè nulla clades, nulla pestilentia, nec mortalitas, nec non hostes totam terram rapinis, incendijsq; devastantes magis populo nocent, quàm crebra nummorum mutatio. Quæ pestis aut infernalis Erynnis inclementiùs spoliat Christicolas, quàm fraus in nummo herilis. At proh dolor senescente justitiâ & invalescente nequitiâ surgent non duces, sed fures, nec Rectores populi.

92. Gravissimè hanc maliciam viri graves & cordati taxarunt, & extat locus insignis *Nicolai de Clemangis in tract. de lapsu & reparatione justitiæ.* Annon vides, inquit, postquam remissæ plebi sunt angariæ vectigalium, quàm capitale confestim regni vulnus de numismate excogitârint. Quo nihil utiq; perniciosius aut infelicius patriæ exterminativum excogitari potest. Quo in lacu quàm latè piscati sint hujus doli fabricatores, nec mente satis concipi, nec linguâ exprimi potest. Habent illi jam propemodùm totam in argento & auro regni substantiam & pro his indignâ commutatione infinitam æris & cupri monetam cuderunt. Principes etsi fructum ex hac prædâ capiunt, vilis tamen est ille, & caro illa nimis illis carè constat, utpote per quam redituum suorum ordinariorum plus, quàm dimidium perdunt. Deniq; ab antiquis Politiarum Rectoribus inventum esse constat numisma, ut conveniens esset medium justitiæ commutativæ preciumq; rerum vænalium. Debet itaq;, quod precium est, ex precioso aliquo confici metallo, alioquin quomodo precium sit, si nihil in se continet precioſi. Debet præterea ex tali re fieri quæ non modò apud patriæ indigenas, sed & alienigenas cara & precioſa habeatur, quatenus per illam cum eis liceat in permutandis mercimonijs per emptionem & venditionem participium habere. Quid est igitur nummos ex tali re quæ nihil precioſitatis continet cudere, nisi alias regiones in usu mercaturarum à se alienare, sine quo nulla politia durare potest. Taceo de furto peculatu, de vilissimo quæstu & spoliatione Reipub. & periculo seditionum &c.

93. Similes querelæ extant in Bodino *lib. 6. c. 3. Molin. quæst. 100. num. 193, Conrado Heresbachio lib. aureo de erud. princip. lib.* Notabilis quoq; est Thomæ de Aquino locus *lib. 2. de Regim. princip. c. 13.* Nec ad rem pertinet inquit, si quidam adulatores nugentur pecuniam esse Principis. Non enim ejus est, postquam expensa est, & adhùc priusquàm de argyrocopio exeat ipsa probitas definita non magis est illius, quàm quælibet Regia mensura. Nec est minor perfidia, pondus vel sigillum, quàm nummum falsificare. Appositè sanè nummum cum quivis mensurâ comparat. Nummus namq; mensurat majores monetas & ab ijsdem vicissim æstimatur. Quò respicit locus elegans Cassiodori *lib. 5.* Constet inquit, populis

pulis pondus & mensura probabilis, quia cuncta turbantur, si in- 45
tegritas cum fraudibus misceatur. Da certè solidum, & aufer indè si prævales. Trade libram, & aliquid indè si potes imminue. Cuncta ista (nominibus constat prævisum) aut integra tribuis, aut non ipsa, quæ dicuntur, exsolvis. Non potestis, omninò, non potestis, Nomina integritatum dare, & sceleſtas imminutiones efficere.

94. Similes sunt imaginariæ monetæ defensores, ijs qui justum & injustum modium pro uno & eodem habent, & quod justo modio acceperunt, parvo rependunt. In quibus illud Platonis verum est, neminem unquam lucrari, nisi quod alter perdit. Quâ de re videre licet *Oresm. de mutatione monetæ ubi c. 23.* ubi concludit cum axiomate hoc immoto, Quod capere & augere lucrum super mutatione monetæ sit tyrannicum, dolosum & injustum. Undè rectè *Bodin. lib. 6. c. 3.* ait, Principi non magis licet improba numismata cudere, quàm occidere vel grassari, nec à juregentium, quo quidem auri & argenti precium constitutum est, discedere, nisi Regis nomen ac honorem amittere & falsæ monetæ fabricator, quàm Princeps dici malit. Quo nomine Dantes Poeta Philippum Regem Galliæ belle taxat, qui filium Ludovicum, ne tale quid unquam patraret, serio monuit. *Gerson Parisiensis Cancellarius in Reg. morab. & Oresmus de moneta scribunt.* Si Princeps sub consueto charactere mutet materiam sive pondus monetæ, videtur tacitè mendacium approbare ac testimonium falsum perhibere. Ex quo principio *Matth. de afflict. in C. quanto X. de jurejur.* infert, quod gehennæ periculum & damnationis pœna immineat Principibus, qui æneos, ferreos, coriaceos, papiraceos, necessitate nulla urgente (illa enim semper excipitur *l. 13. ff. fam. ercisc.*) ipsorum jussu cusos, mutatis in pristina temporibus non redimunt. Graphicè hanc rem *D. Gerhard. Theolog. Jen in disc. Acad. Arum. 6. depinxit.*

95. Hæc cum adeò manifesta sint, ut à quibusvis etiam imperitis intelligantur, mirum certè est, à quoquam in controversiam vocari & monstrosæ adversariæ opinioni popismum fieri. Et certè si JCti isti, qui hanc hæresin ante plures annos professi sunt, hoc seculo vixissent, & defraudationes tam crassas animadvertissent, loco calculi albi, atram notam, & nigrum ⊙. adposuissent. Hot-

romannum certè & Molinæum dùm in nummis æstimationem non corpus inspiciendum tradunt, ad Romanam & quamvis aliam Rempub. benè constitutam respexisse ipsi luculenter in quæstionibus & disputationibus suis testatum faciunt. Eandem sententiam aliorum quoq; JCtorum fuisse dubitare vix ausim, utpotè cum omnes isti viri in casu contingentis mutationis intrinsecæ bonitatis tempus contractus inspiciendum tradant, quæ decisio ex principio nostræ opinionis ut supra dictum est promanat. Ut verò ea invicta stet nihil hactenùs ex jure civili, quod eidem adversetur inductum esse demonstrabo. Inter alias verò leges in primâ acie adversarij *l. 1. ff. de contrah. empt.* collocant, sed tantum abest ea monstrum hocce alat, ut id magis destruat. Et certè si Paulus reviviscceret & interpreres modernos lege dictâ adeò perniciosè abuti cerneret, eorundem, segnitiem ne dicam gravius, haùd dubiè accusaret. Nec enim Paulo, utpotè JCto juxtâ ac Philosopho & politico insigni, in mentem venire potuit, Pecuniæ substantiam in sollà quantitate materiam excludente, consistere. Sed si intentio Pauli inspiciatur, eam hùc collimare apparet, Nummum nimirùm in emptione venditione usum dominiumq; rei præbere magis quantitate quàm substantia. Usus namq; nummi præstatur venditori, ut quod sibi deerat, &, quod loco istius rei, quæ sibi supererat nanciscì optabat, illo interveniente, consequatur, dominium verò istius optatæ rei pro usu nummi præbeatur emptori, quod pulchrè *Vultejus discept. Scholasticarum c. 10.* explicat his verbis. Si nùnc quæratur ex substantia ne sit, an ex quantitate, quod materia seu massa argenti vel auri usum dominiumq; præbet hominibus, Respondet Paulus ex quantitate id esse, quam quantitatem jus gentium isti imposuerit, & ut eà res ceteræ æstimentur, atq; ita ejus rei vice quæ datur usus esse possit, & dominium rei, quæ pro nummo accipitur, traditione ejusdem transferatur. Undè nummus teste *Montecatino ad c. 19. lib. 1. Polit. Arist.* scitè æstimator præsentis, & fidejussor futuræ permutationis dici potest. Hinc imperator *in l. 2. C. de const. pecun.* scribit, hac ratione omnes res in nummos converti posse *& Baldus ait*, Pecuniam habentes omnia habere, *& Curtius Jun. in l. 2. §. mutuum ff. de reb. cred.* nummum appellat polypum, qui cujusvis rei vicem sustinere possit *Bornitz. de Numm. lib. 1. c. 3.*

96. Ideò

96. Ideò autem in emptione venditione veluti quantitas nummus consideratur, ut contractus iste solo nummi respectu à permutatione secernatur, nec ultra utrumq; merx, & utrumq; precium sit. Ad hanc distinctionem & differentiam inducendam, sola massa auri & argenti non sufficiebat, sed publicâ auctoritate, ut de ejus bonitate omnibus constare posset, egebat. Ast illa permutationis difficultatem quidem removebat, materiæ considerationem non excludebat, sed potiùs ei se accommodabat ejusq; publicum testimonium referebat. Undè Cujac. potestatem istam indicem seu notam sive monetam i.e. monitionem quantitatis nominat. Quod Aristot. 1. pol. sic explicat ὁ χαρακτὴρ ἐτέθη τοῦ πόσου σημεῖον. Χαρακτήρα vocat, quod Paulus formam. Πόσου, quod Paulus quantitatem; eamq; non in solo valore, sed in pondere consistentem. Ast testimonium, substantiam rei dicere nemo ausit, quin potiùs idipsum rei, de quâ testimonium perhibetur, substantiam præsupponit. *Wilhel. Oresm. de mon Gabriel Biel. pag. 3. Molinæus quæst. 100. n. 793.* An verò in mutuo nummus ut quantitas consideretur, tantùm abest Paulus decidere voluerit, ut ne minimo apice quidem indigetârit. Undè argumentum ab emptione ad mutuum sumptum elenchum separatorum continet, utpote cum hi contractus suâ naturâ sint separati, & in ijsdem nummi diversos usus, diversosq; effectus habeant. In emptione namq; nummus adhibetur, ut emptio à permutatione secernatur, & indigentia ab unâ parte æquipollentiâ nummi suppleatur. In mutuo verò pecunia seu nummus ità intervenit ut eâdem bonitate restituatur. Accedit, quod Paulus notis comparativis TAM, QVAM utendo materiam cum potestate publicâ sempèr simùl considerari arguat. Rectè enim dicit, electam esse materiam ἐξ ὑποθέσεως, ut ille ait, vel κατὰ συνθήκην ex communi scil. conventu & communi Reip. sponsu, ut *Cujac. ad hanc legem in lib. 33 ad edictum* loquitur. Substantiam verò vocat, quam *Cicero 12. ad Attic.* naturam auri vel argenti. Noscenda est inquit natura auri, argenti vel æris, quod accepturus es, non facultas sola.

97. Ad ulteriorem hujus legis intellectum primò vox quantitatis, & cur ac quomodò ea perpetua dicatur, dilucidiùs est explicandum.

98. Cer-

98. Certum est nummum in jure nostro dupliciter considerari, nimirùm vel ut corpus, vel ut quantitatem externam scil. æstimationem *L. 1. C. de potest. vet. numism. l. quotiescung. C. de suscept.* & ad talem quantitatem respexerunt JCti *in l. si is cui. 94. ff. de solut. l. si pœnæ §. 1. ff. de condict. in deb. l. latius. 24. ff. de solut.* atq; hac ratione pecunia numerata secernitur à corporibus *L. planè 34. §. 3. de leg. 1. l. quisquis 95. in fin. ff. de leg. 3. l. si heres 69. ff. ad S. C. Trebell. l. sed et si ff. de accept. l f. ff. de admend. leg. l. 5. ff. in res dotales fact. l. qui heres ff. de cond. ind.* in quâ tamen lege postrema *Accurs. rectè subaudit aliarum.* Ast dum nummum, uti quantitatem in mutuo considero, eum non esse quantitatem, sed in quantitate consistere dico, quæ certè sunt diversissima. Unde *Curt. Jun. in l. 2. §. mutui ff. de Reb. cred. & Hieron. Butigella ibidem n. 8. ajunt.* Textus non dicit, quod mutuum consistat in his rebus, quæ sunt numerus, sed in his, quæ numero, pondere &c. consistunt. Veniunt igitur in mutuum res quales & quantæ in concreto, non ipsæ qualitates & quantitates in abstracto. Undè licet in mutuo nummum ut quantitatem respicias, eam tamen quantitatem non solo currente instabili valore, nec solo numero, sed ipso quanto, nimirùm pondere, numero & bonitate æstimabis, & hoc solo à corpore nummorum secernes, quod hoc ad certam speciem referatur: quantitas verò quovis corpore, quavis specie in quantitate i. e. numero & pondore æstimata præstari possit *L. si duo ff. depos. l. si pluribus ff. de legat. 1. l. imperat. cum l. seq. ff. de legat. 2. l. Lucius 24. ff. depos.* Nec enim quantitas talis est simplex & nuda, sed ponderi & nummo conveniens, in corporibus tamen seu monetis certis considerata æstimatio, quæ non ex unius vel alterius magistratus sublime jus monetarium prostituentis arbitrio, nec cauponum monetariorum perfidia indeq; subindè variante valore, sed ex communi quasi gentium universali veluti lege auro argentoq; æquabilem tribuente valore censenda est. Quantitate itaq; credita non quidem certum corpus, sed tamen in certis corporibns constans quantitas credita censetur. Ea verò quantitas non discreta i. e. ratione numero, cujus respectu centum muscæ & centum Elephantes eodem sunt prædicamento, sed vel maximè continua i. e. in certis rebus diversimodè se habentibus, cum scil. quæritur de diversitate assium

pondo

pondo & amphorarum) est æstimanda. Undè apparet, quàm turpiter errent, qui pecuniam ut quantitatem consideratam rebus incorporalibus contra ipsa juris principia §. 1. *inst. de reb. corp. & incorp.* & communem sensum accensent.

99. Quod itaq; ex Duare. *4. disp. anniv. c. 6.* adfertur, Pecuniam esse quantitatem, eandem verò esse valorem seu æstimationem. Ad id respondet *Joan. Robert. 3. sent. 6 & Vultejus discept. Schol. c. 10.* ille doctrinam Duareni esse mancam, hic, nimis concisam. Nam certum est, quantitatem non esse solum in abstracto consideratum valorem, sed quantitatem rei substantialis ponderis & materiæ, & quidem æquè hujus ac illius: illis enim duobus concurrentibus precium ac valor rei defieri nequit, quippe qui imponitur habitâ ratione ad pondus & materiam. *Albert. Brun. de Monet. præsupp. 2. n. 5. & 15.*

100. Hocipsum Paulus ipse confirmat *in d. l. 1.* ubi quantitatem hanc nummariam perpetuam esse dicit, quod non de impositicio subindè pro libidine Principum, vel perfidiâ cauponum, variante valore, sed de æstimatione & potestate materiæ bonitatem veluti essentiam homogeneam concomitante, adeoq; cum ipsâ materiâ perdurante intelligendum est. Respexit enim JCtus Paulus ad constitutionem Reipub. benè constitutæ, in quâ Lex ita fertur, ut non subitò aboleatur. Ita Lex monetaria olim vix singulis seculis mutabatur, ideò perpetua rectè dicebatur, non quod suâ naturâ immutabilis esset, sed quod intentione Legislatoris mutari non facilè deberet, & hæc perpetuitas tàm diu sibi constat, quàm diu æstimatio bonitati intrinsecæ correspondet *argum. princip. de perpet. & temp. act. §. sed naturalia Inst. de jur. nat. gent. & civil. l. pignus C. de pig. act. argum. l. f. C. de veter. numism. potest.* Atque ita hancce perpetuitatem explicat. *Annæus Robert. rer. jud. lib. 1. C. f. & Cujac. l. 59. in fin. ff. de V. O.* cum quibus conspirat ipse Hottomannus *disp. civil. c. 5. de usur.* ubi ea, quæ *Quæst. illust. 15.* scripserat, hisce verbis explicat. Non ideò ait in libris nostris mentionem non fieri Quanti plurimi in pecuniâ numeratâ quod natura pecuniæ id non admittat, sed eò duntaxat, quia nostrorum ætate JCtorum perpetua fuit nummorum æstimatio. Atqui nos, qui toties eam immutationem videmus usu venire, non dubitamus ea uti

lege ac ratione, quâ verisimile est usuros eos fuisse si & casus & tempora tulissent &c. Et ne solus stet Hottomannus ex umbrâ Theoricâ productus adde eidem Baldum *Consil. 30.* Petrum de Anchoran. *in c. olim X. de censib.* Panormit. *c. quanto n. 12. X. de jurejur. Joan. Fab. Inst. de Attil. tutor.* §. *nos autem* Calcan. *consil. 5. n. 38.* & alios infinitos. Nec probatione ulteriore eget, quod cotidiè experimur, imò lamentamur. Rectè itaq; cum Molfesio dicere hîc licet ad *consuetud. Neapol. quæst. 13.* Si cum temporis successione sequatur, mutatio materiæ, vel aliarum circumstantiarum Legis, cessare quoq; ipsam Legem. Perpetuitate illâ itaq; mutatâ, cessabunt hodiè prisci juris Regulæ, nunquam in litem jurari pecuniæ nomine *l. 3. ff. de in lit. jur.* Non dari triticiariam pecuniæ nomine. Quanti plurimi locum non habere in pecuniâ numeratâ &c similes. Atq; hoc modo Leges, pecuniam uti quantitatem à corporibus secernentes, nec intellectu, nec resolutu sunt difficiles.

101. Argumentum quoq; à syngraphis & tesseris deductum separatorum sophisma redoleт, adeoq; elumbe est, utpote cum tesseræ æstimationem nullam ratione rei contineant, quam designant, quod in materiâ nummorum, auro nimirùm & argento fecus esse constat.

102. Aliæ Leges, quæ pro adversariâ sententiâ adstruendâ adducuntur, planè sunt impertinentes, siquidem *l. Quæ extrinsecus ff. de V. O.* de stipulatione loquitur, in quâ nummi aliter atq; in mutuo considerantur. Denarij namq; in stipulationem deducti, ut quantitas, verificari per aureos analogicè denarijs æquipollentes possunt. Accedit, quod *d. l.* accipi sine metu absurditatis de denarijs auteis (quos etiam in usu fuisse constat) possit: Quo præsupposito aureorum & denariorum eadem erit ratio. Proinde *l. Titia & l. cum aurum ff. de auro & arg. leg.* hùc non faciunt, cum tantùm mentem testatoris explicent, causam verò mutui penitùs non tangant.

103. Nec verò quod ex historijs de nummis extravagantibus necessitatis, omnis legis expertis, tempore, cusis, coriaceis, panneis, chartaceis adducitur, quicquam stringit, utpote cum isti non tàm nummi, quàm nummorum tesseræ, seu potiùs futuræ solutionis sponsores, & quasi syngrapha fuerint. *L. Titia Seja. ff. de leg. 1.*

Unde

Unde nummos istos veluti substantia, veraq; sui natura destituros 51
à Principibus Regibus, eorumq; Fiscalibus, causâ necessitatis cessante, verorum nummorum surrogatione redemptos fuisse legimus Annæus Robert. *lib. 1. c. fin.* Bornitz. *de Nummis percut. c. 14.* Quod certè factum non fuisset, si rectâ ratione salvâ, vel Justitiâ propitiâ nummi isti commercijs deservire potuissent. Si verò Princeps necessitate sublatâ, ejuscemodi nummos Phantasticos non redimat, vel debitor, qui Thaleros argenteos mutuò accepit, coriaceos vel plumbeos obtrudere tentet, ille equidem Tyrannidis, hic summæ ingratitudinis notam sibi inuret,

104. Quod verò de potestate Principum adducitur, id quàm lubricum sit, suprà demonstratum, & satis superq;, ut puto, evictum, Legem monetalem juris divini & gentium esse, adeoq; ipsum quoq; Principem obligare. Quamvis nonnulli interpretum in contrariam sententiam allegatorum de potestate Principum aliquantò laxiùs & liberiùs loquantur; pleriq; tamen eorum opinionem suam restringunt ad casum, quo justa mutationis causa subest, nec magnum præjudicium subditorum vertitur. Nam alias illa opinio simpliciter accepta, Tyrannidem uti dixi sapit, & ob id crebrioribus interpretum calculis reprobata est. *Scurff. consil. 60. cent. 2. And de Isern. c. un. Quæ sint Reg. Matth. de Afflict. ibidem. Gabriel Biel de monet. Conclus. 2. Covarr. de vet. numism. c. 7. §. cum ex his n. 6. Petr. Gregor. Tholos. lib. 9. de Repub. c. 1. Renier. Sixt. lib. 2. c. 7. n. 57. de Regalib.*

105. Quæ omnia multò magis in Magistratibus inferioribus locum habent; Attamen Constitutiones provinciales censere, nostri nec officij, nec instituti est, maximè cum extent in ipso principio sibi adversantes nec tamen ita publicatæ, quasi perpetuò duraturæ sed interim litium præcavendarum causâ observandæ.

106. Quamvis autem in grossiori monerâ hæc magis appareant; tamen & imaginarias monetas, Florenos, Libras & similes simili modo justæ Ligæ certis limitibus circumscriptos esse, & perindè peccari ab eo, qui Florenos exiliores pro creditis ponderosis, ac si pro Thaleris bonis & probis, viliores redderet liquido constat. Florenis namq; creditis non nudus numerus seu quantitas discreta, ut suprà dixi, sed continua ex 24. solidis bonis æstimanda

52 credita censetur. Creditum enim omne est rei fungibilis certæ: Certa autem est non nomine & numero solo, sed pondere simùl & ipsa naturâ seu substantiâ. Illa itaq; certitudo, quæ cum contractu esse cepit, cum eodem semper durat, nec ob incertum subindè pro hominum malicià variantem valorem mutatur, nec functionem in eâdem bonitate præstare potest, quod est contra naturam mutui.

107. Deniq; nulla certa, nisi prava consuetudo huic opinioni patrocinatur. Quamvis enim quidam Doctores consuetudine receptum esse testentur, ut nummi mutuo dati, alij pro alijs solvantur, tamen illa consuetudo huncce Juridicum intellectum habet, ut nummi isti functionem in bonitate intrinsecâ & extrinsecâ inter se habeant. *arg. l. cum quid ff. de Reb. cred. l. 1. C. de veter. numism. potest.* Quem intellectum nisi subaudiamus cum Molineo *quæst. 92. n. 708.* rectè respondebimus frivolum esse hoc consuetudinis subsidium, idq; à civilitate & benignitate quorundam Creditorum promanasse, quæ tamen civilitas in eorundem, vel etiam tertiorum præjudicium converti neutiquam debet *Gutierez. lib. 2. quæst. 179.* Certè in Germaniâ consuetudinem talem non receptam, sed potiùs Constit: Ferdinandicâ de Anno 1559. & circulari inferioris Sax: de Anno 1568. legem contrariam latam esse constat.

108. Accuratiùs verò si quis inquirat prædictæ, hactenùs sæpiusculè exercitæ humanitatis causam deprehendet hanc esse, quod deterioratio lentè progressa, & modicum semper decerptum fuerit *Tilem. Grieſe lib. 4. c. 37.* ut vel quia cognitu difficilis est differentia inter probas & improbas monetas *Purpur. in l. 2. n. 174. ff. de reb. cred.* non animadversum fuerit vicium maximè à simplicioribus, quos hac calamitate imprimis adfligi testis est imperator Leo *Novell. 52.* & summus Pontifex in extravagante *prodiens de Crimine falsi.*

109. Ex præmissis liquido, ut puto constat, nummi cujusq; genuini substantiam consistere non in solâ incertâ pro unius vel alterius Principis arbitrio imposita & subindè variante, sed in justâ symmetricâ bonitatis intrinsecæ cum extrinsecâ bonitate universali lege imposita potestatè. Ad hujuscemodi potestatem JCti respiciunt, quando nummorum perpetuam æstimationem esse

tra-

tradunt. *l. 1. ff. de contrah. empt. l. 3. ff. de in lit. jur. l 3 ff. de eo, quod cert. loc.* 53

110. Hæc utriusq; bonitatis justa & proportionata conjunctio dùm duravit, in imperio Romano omnis nummus Realis & verus permansit, alterutra verò earundem vel mutata nummo vero phantasticus & imaginarius successit, & in commercia irrepsit. Hinc illæ locutiones, gute vnd schlechte Gülden R. Thal. vnd zahl sive current Thal. originem traxerunt. Quas loquendi formulas nunquam inventas & in usum deductas esse, satiùs esset. Illæ enim plerasq; ex mutatione monetariâ enascentes quæstiones pepererunt, ad quarum decisiones utile & necessarium erit, causas mutationis & auctionis monetariæ indagare. Petrus de Anchoran. *in c. olim X. de censib. uti & plerisq; alij*, & Bart. *in l. Paulus ff. de solut.* omnem mutationem & auctionem valoris monetarij ex duplici causâ oriri rectè statuunt. Primò, ob ipsius pecuniæ creditæ alterationem. Secundò, ob aliam, pecuniâ ipsâ creditâ salvâ & integrâ manente, justam Magistratûm permoventem causam. Illa mutatio hoc conclamato seculo, proh dolor, palpabiliter & sensibiliter hactenùs contigit, nec dum cessat; hæc verò rarò & vix semel quovis seculo accidit.

111. Illa autem mutatio dupliciter vicissim fit, vel in ipsis speciebus creditis, vel in nummis se invicem æstimantibus & justâ proportione correspondentibus. Illud fit si Thaleri crediti valor ob minutam bonitatem intrinsecam decrescat. Hoc verò, quando non quidem Thalerus per se mutatus vel depreciatus, sed minutis nummis ad ligam & pedem sen tessam Thaleri cudendis intrinsecæ bonitatis aliquid detrahitur, & exindè valor Thaleri extrinsecus putativè augetur. Ut quando solidi quorum 32. uncialem Thalerum justa proportione imperij lege definita servata, efficiunt, in materiâ ità depreciantur, ut vix 64. solidi bonitatem Thaleri adæquent. Quo casu aliter fieri non potest, quàm ut Thalerl æstimatio numero solo solidorum inspecto augeatur. Ast re accuratiùs perpensâ & ad vivum resectâ, mutatio & auctio ejuscemodi non tàm extrinsecè, quàm intrinsecè contingit, & non tàm auctio, quàm monetæ grossæ cum minutâ justa commensuratio est. *Anton. Fab. de var. deb. solut. c. 6. And. Kohl exercit. 19.*

112. Quamvis autem mutati valoris in genere JCti varias causas adducant, alij metalli fodinarum sterilitatem, alij clades bellicas, alij impensas monetales, alij cupri caritatem, alij alias causas allegent, imò & *Corneus* in indagatione causæ mutationis fluctuet *Cons. 279. vol. 1.* Veram tamen causam modernæ mutationis panoletriæ & ἀπαξίας monetariæ ex prostitutione perniciosâ Regalis monetarij indeq; scaturiente cauponatione & analogiæ seu proportionis, quam Lex imperij inter majores & minores nummos sanxit, turbatione, seu materiæ ac ponderis justi subtractione oriri non JCti tantùm veteres & recentiores agnoverunt. *Bald. & communiter DD. in l. cum quid ff. h t. Canonistæ in C. quanto X de jurejur. Hieron. Cagnol. ad l. 2. n. 215. in fin C. de pact. inter empt. & vend. Anton. Sola de monet. c. 7. n. 1. n. 10. Menoch. consil. 49. n. 3. Surdus cons. 438. Brun de monet. p. 6. n. 6. Ægid. Boß. tract. crim. de monet. n. 3. Natta consil. 454. Gratus cons. 3. n. 38. Asinius tract. de execut. §. 7. c. 128. n. 4. Zasius ad l. 2. §. mutui. n. 27. ff. de Reb. cred. Tilem. Friese im Münzspiegel c. 15.* Sed & edicta Imperialia monetalia ab Anno 1559. usq; ad hæc tempora publicata, imo vox populi publica clamat.

113. Hanc proportionem JCtus dùm considerat, non officij sui limites transilit, Zigostaticamve exercet (uti consultor quidam anonimus Responso non ita pridem Helmsteti edito nugatur) sed munere justi decisoris & judicis fungitur. Constitutio namq; Ferdinandica, eamq; subsecuta edicta Monetalia examen tale judicibus demandant, & Zigostatas accuratiori informationi adhibendos esse præcipiunt. Constitutio enim prædicta, uti & edicta monetalia alia, non tantùm valorem nummis certum imponunt, sed & valori isti proportionatam bonitatem intrinsecam, atq; adeò invicem correspondentem æstimationem definiunt, quæ hactenùs quidem nonnullorum Regali monetario abutentium fraudibus & dolis in quibusdam Provincijs prædominantibus interrupta, nullâ tamen lege justâ sublata est. Undè & Camerales non attentis Localibus constitutionibus Decisiones Quæstionum monetariarum ad Imperij legem & eadem determinatum intrinsecum & extrinsecum valorem revocant, ut infra fusius dicetur.

114. Prædicta justa omnium nummorum tàm per se, quàm relativè

lativè se invicem æstimans analogia potestatem nummorum, Paulo JCto *in l. 1. ff. de contrah. empt.* testante & cotidianâ experientiâ comprobante, perpetuam reddit. Ast quamprimùm ab illâ vel in speciebus ipsis per se, vel etiam in minutis nummis quantitatis propriè dictæ mutuo deservientibus receditur, valorem quoq; ipsum, qui ex preciositate materiæ dependet, alterari & in nummis integris verbaliter increscere. realiter verò & justa proportione tantùm exæquari oportet. Quod ipsum Aleman *Consultat. 8. probat.* Eodem respicit Annæus Robertus *lib. 1. rer. jud. c. 16.* ubi ait, Falli vulgus ditari se credens, quoties valor aurei crescit cum omnium simùl mercium precium crescat. Divitijs hujuscemodi imaginarijs turgentes & gaudentes Tantalo pomum apparens, ast ad tactum subitò evanescens appetenti, Itidem Mycillo apud Lucianum per se Iro pauperiori, Crœsi divitias somnianti, comparari possunt. Eorundem fatuitatem Augustulus quispiam appositè repræsentet, qui si miliaria edicto proposito breviora faciat, vel fieri talia patiatur, sibiq; imaginetur, tanto se latius dominari, quippe cum ante vix quinquaginta milliaria intra suæ ditionis fines obire potuerit, nùnc singulis in ducenta dissectis ducenta obeat, Aut, si miliaria in pristino suo statu permaneant, (uti nùnc inter monetas relictas putamus species,) sed pedis, qui miliaris quota, mensuram ad semissem contrahat seu contrahi patiatur, sic tamen ut centum pedes contractiores nùnc æquè ac totidem antea plethrum conficiant. Quàm crassè autem hujusmodi phantastici Crœsi, Tantali & Augustuli errent, & falso augmento superbiant, non est quod liquidius demonstrare satagamus. Utpote cum hoc tempore, sublatens fucus adeò detectus & detersus sit, ut etiam à Rusticis advertatur.

115. Relinquitur ergò ex his, quæ diximus, incrementum verum & reale non aliter contingere, quàm cum nummorum in sua substantia persistentium valor sine ullo minutorum nummorum, depreciatorum, merciumve nummis æstimatarum respectu, sola auctoritate publica ex causa externa politica justa augetur. Quod quamvis teste Bodino & Annæo Roberto, rariùs eveniat: tamen nonnunquam contingere Imperatores *in l. 2. C. de vet. num. potest.* innuunt, & ob metallifodinarum copiam & inopiam evenisse

Sixtin.

 Sixtin. de Regalib. c. 7. n. 65. lib. 2. Et Bodin. contra Maleſtroit. notant, & experientia teſtatur.

116. Tali augmento contingente verè nummorum valor augeri rectè dicitur, & huic augmento, annona quoq; conformatur *d. l. 2. C. de vet. num. poteſt.* Augmentum tale cum extrinſecus eveniat licet debitori vel creditori damno vel lucro eſſe queat: tamen nec id quidem mutuum ipſum ingreditur vel afficit, ſed id in eadem, qua datum eſt bonitate intrinſeca reſtituendum eſt, ſi tamen tempore ſolutionis publica alia, quàm contractus tempore fuit ex juſtacauſa integra manente materia æſtimatio impoſita ſit, eam præſtari oportet. Et hoc eſt, quod dicitur in extrinſeco valore aucto tempus ſolutionis inſpiciendum.

117. Augmentorum horum diverſorum ex diverſis cauſis orientium homonimica uſurpatio indeq; nata confuſio varias in re monetaria peperit opiniones. Ad quas rectè intelligendas & diſcernendas *Pomponius in l. 3. ff. h. t.* normam velut Lesbiam ſubminiſtrat & præſcribit, Rem nimirùm creditam, ea, qua data eſt bonitate, reſtituendam eſſe. Regula hæc in quovis mutuo cujusvis rei fungibilis catholica eſt *Dd. communiter d. l. Bald. Col. Ultim. Alber. Col. 3. Jaſon in lectura 2. Col. pen. n. 16. Curt. Jun. Col. 11. n. 22. Bolognet. Col. 43. n. 69. Scipio Rendina in prompt. ſent. tit. de contract. n. 25.* Tota hæcce Pomponij Lex, totaq; adeò natura mutui, una ſola voce TANTUNDEM explicatur, cujus vocis vera interpretatio & applicatio, omnes vel certè pleraſq; monetarias Quæſtiones dextrè reſolvit.

118. Id namq; in omnibus controverſijs monetarijs accuratè diſpiciendum eſt, anne tantundem, quantum datum eſt, reddatur. Præſupponit hæc vox dationem. Datio verò propria rem corporalem numero & pondere conſtantem requirit, ejusq; dominium in accipientem transfert, idque in nummorum tàm in ſpecie, quàm in certa quantitate creditorum mutuò attenditur. Semper namq;, quid in mutui contractum, ſecundum ejusdem naturam vel conventionem eidem conſonam deducitur, diſpiciendum. *Bart. in l. Paulus ff. de ſolut. Bald in C. quanto X. de jurejur. Franciſ. Curt. conſil. 24. n. 6. Menoch. conſil. 49.* Id verò deductum ſemper in obligationem cenſetur quod datum, non quod dictum eſt, & tantundem

dem non solùm quâ numerum, sed & quâ bonitatem, & non tantidem tantùm ponderis & numeri, sed & tàm boni argenti aliusvè metalli, uti idem Pomponius loquitur *in l. f. ff. de præscript. verb. restituendum*. 57

119. Idque mutuo adeò naturale & essentiale est, ut ne quidem de alio, quàm dato & in obligationem realiter, non imaginariè deducto reddendo, salvâ naturâ mutui, paciscì liceat. Undè, si quis leves & æroſos nummos nomine florenos mutuos det, & pacto caveat; ut boni & ligæ imperij correspondentes, adeoq; ponderosiores reddantur, pactum tale non magis valet, quàm si pro decem mutuo datis undecim repromittantur. Id verò pactum invalidum esse JCti etiam Ethnici statuerunt *l. rogasti. l. certi §. si decem ff. h. t.*

120. Ast si quis hoc tempore currentes vel potiùs iniquitate temporis nobis pro justis florenis obtrusos, & ad exemplum aliarum Provinciarum ad justam & antiquam imperij legem & ligam reducendos, vel in minutis nummis, vel etiam in Thaleris quolibet eorum duobus florenis æstimatis mutuos det eâ lege, ut non in genere & bonitate ijdem, sed tales, qui in futurum tempore solutionis usuales fuerint, restituantur. Ea certè pactio nisi ex juridico intellectu ad justam rei realiter creditæ quantitatem reducatur, vix est, ut ab injusti captati lucri suspicione vindicetur, maximè hoc tempore, quo creditores tales pactiones, ob adventantem reductionem, indeq; speratum lucrum adjiciunt.

121. Ast dicat aliquis, ex incerto eventu anne ea pactio nociva vel proficua debitori creditorive futura sit, dependere, adeoq; justum eventum fortuitis casibus accensendum esse. Ast de ijs præstandis paciscì licere constat *l. contractus ff. de Reg. Jur.*

122. Verùm tales pactiones mutui terminos solitos excedunt. Termini namq; in mutuo dationis & redditionis ratione bonitatis ejusdem præcisè correspondent, qui si invertantur & pactionibus de futuri eventus periculo, adeoq; casu fortuito præstando incertum pro certo promittatur, mutuum non consistit, sed negocium in aliud genus contractus transit, quod tamen Pomponius ignorasse videtur. Is enim tale pactum, ut pro vino veteri novum reddatur, improbat, Quod Butigella ibidem etiam ad tale pactum extendit,

dit, ut pro vino veteri bono novum qualecunq; , etiam deterius futuro anno provenerit, restituatur. Semper enim in mutuo respiciendum est, anne res danda & restituenda functionem subeat, id est, eandem utilitatem præstet, & cum re æstimata sit convertibile & in rem æstimatam reducibile *Dd. communiter in l. Nummi ff. de in lit jur. l. 1. & 2. ff. de cond. tritic. l. hominem ff. mandati. l. Quoties ff. de V. O. l. si calendis ff. de Reb. cred. Coler. de proceß. execut. p. 1. c. 10. Gilm. rer. jud. lib. 1. c. 16.* Undè decem ulnas panni, decem congios vini, decem libros butyri mutuo accipiens, non liberatur, si ulnas decem breviores, pannive vilioris vel amphoras libraſve minoris quantitatis restituat. Haud secùs est in creditis Marcis Lubecensibus, quarum duæ justæ Thalerum, & Florenis, quorum quatuor tres Joachimicos pondere & precio vel certè intrinsecâ legitimè proportionatâ bonitate adæquant. Mutuò hujusmodi, justo valore creditæ quantitatis dato, debitor ex lege hacce Pomponij non aliter liberare se potest, quàm si rem ejusdem bonitatis, ponderis scilicet & materiæ restituat, sin leviores vel æroſiores nominales Marcas, at minimè reales creditori obtrudere satagat, non minùs peccas, quàm si pro ulnis Brabanticis, Norimbergenses, pro panno Anglico, Misnicum, pro vino Rhenano, Francicum, pro amphora capace, minus capacem, pro talento Attico, Græcum, pro Regio, vulgare, adeoq; non tantundem, sed minus, vilius, deteriusve præstet.

123. Eadem enim est ratio nummi, quæ mensurarum & ponderum juxta Azonem *Brocard. Hostiens. in summa de censibus n. 8. Alb. de Rosate in l. 3. ff. de reb. cred.* Nec enim nummi inter se aliter functionem recipiunt, quàm si justa analogia sibi invicem correspondeant *argum. l. f. C. de vet. numiſ. potest. Droa p. 1. p. 6. n. 7. arg. clam. de decimis. Dort. in l. Quæ extrinsecùs ff. de V. O.*

124. Undè meritò hanc sententiam in mutuo essentialem, aliam verò veris nummis imaginarios viliores substituentem verbalem esse, rectè *Anton. Fab. de var. deb. sol. c. 9. verſ.* postremò. *& c. 12. in med. c. 21. in med. Thesaur. decis. ped. 174. n. 6. Casp. Thesaur. de mon. mut. p. 1. n. 44.* novissimè *Lustritius Consilio Aug. excuso* tradunt, idemq; probant *Surdus Consil. 368. Alciat. Consil. 155. Socin. 321. vol 3. Capra. Consil. 29.*

125. In

125. In hisce à Pomponio mutuo circumscriptis terminis nos si contineamus, unum & idem tempus solutionis & contractus semper esse & manere, adeoq; quæstionum monetariarum decisiones faciles esse deprehendemus. Semper enim quod datum est tempore contractus, tempore quoq; solutionis præstandum est. Quod si interpretes semper attendissent, distinctione inter tempus contractus & solutionis supersedissent, & materiam hancce adeò obscuram & intricatam, prout ea, proh dolor est, non reddidissent.

126. Et certè si quis scripta Doctorum de hac monetariâ materiâ edita accuratius evolvat, animadvertet, quosdam tempus contractus respicientes cum ijs, qui tempus solutionis considerandum esse scribunt, idem sentire, verbisq; solis dissonos, mente congruos esse. Idem testatur *Brun. de aug. mon. p. 1. n. 2. versic sed intelligendo.* ubi ait, eos qui variato valore extrinseco, solutionis tempus inspiciendum esse putant, ab alijs non discrepare. Hinc ipse Molineus, Doctores hac phrasi perplexè & confusè uti ait. Idem probat Collega noster Ernestus Cothman *Resp. 36.* & noviss imè Joannes Aloisius Riccius communem opinionem esse scribit, tempus contractus esse inspiciendum, Ast mox subjicit, Dd. qui tempus solutionis inspiciunt. Undè in tantâ DD. in hac materiâ dissidentium multitudine sæpè pro dissidentibus consentientes allegari sedulo lectori satis liquebit. Quod ipsum & Jacobo Alemanno contigit, dùm Molineum & Sixtinum & Modestinum Pistoris in eâdem acie constituit, quos tamen sibi acriter adversari constat.

127. Hæc ambiguitas hinc oritur, quod nonnulli Doctores, & quidem famiores tempus contractus ex nummorum verâ substantiâ metiantur, quorum sententiam ut justam & naturæ mutui congruam firmavimus. Alij verò tempus contractus considerantes, solum numerum nummorum creditorum respiciunt, nec veram & intrinsecam bonitatem attendunt, & liberari putant debitorem, si tot numero Florenos licet leviores, reddat, quod numero justos acceperit: Et ex eodem principio, si Thaleri crediti sint, putant se liberari pro singulis 32. solidos præstando, & numero Thalerorum tot detrahendo, quot Thalerus hodiè plures numero continet solidos,

 lidos, Quod naturæ mutui adversari rectè monet *Wesenb. parat. ff. b. t. n 12. & Caspar. Tessaur. de augm. mon. n. 41.*

127. Opinionem hancce fovisse videtur doctrina *Bart. in l. Paulus ff. de solut.* ubi tradit, Nummos minutos nec ex mercibus, nec ex nummis majoribus æstimari posse, ut proinde si quid sua interesse prætendat Creditor in non depreciatis intrinsecè solutionem fieri debere non tàm damnum passus, quàm lucrum adquisivisse dici debeat. Hoc fuco coloratam in Consistorio Panormitano pro debitore latam sententiam fuisse, cui ipse contradixeris, attestatur *Molfesius ad consuetud. Neap. p. 9. quæst. f.*

128. Hujus dogmatis defensores, Florenum, similemq; imaginarium nummum semper certum, ejusq; valorem perpetuum & constantem esse statuunt, qui constet 24. solidis Lubecensibus, non attento, an ponderosi leveśve, viles vel precioši sint, & indaginem intrinsecæ bonitatis accuratiorem ad Guardinum non JCti officium pertinere ajunt. Et certè Bartoli sententia in benè constitutâ Repub. depreciationi nummorum tàm enormi non obnoxia verisimilis apparet, multosq; JCtos in eam sententiam perduxit in mutuo quantitatis ad florenos vel libras contracto tempus solutionis simpliciter esse inspiciendum, & quidem malum hoc dùm sensim & latenter serperet, animadversum non est, aut fraude sublatente detectâ, & re accuratiùs perpensâ, omnes JCti saniores dogma Bartoli malè intellectum ex alijs locis vel explicant, vel etiam reprobant, & inter nummos minutos & majores justam & lege publicâ constitutam symmetricam analogiam & commensurationem esse agnoverunt & docuerunt *Alb. Brun. de aug. monet. Concluſ. ult. limit 1. Imolà & communiter Canonistæ in C. quanto. X. de jurejur. Curt. sen in l cùm quid. ff. h. t. quæst. 2. Covarr. de vet. num. potest. c. 7. §. 1. n. 4.*

129. Ab erroneo prædicto dogmate Bartholum vindicare intendit Gilkenius, & ejusdem traditionem ad moræ casum, de quo loquitur, restringit *ad l. incendium C. de Reb. cred. argum. l. fin. ff. de peric. & commod. rei vend. l. si sterilis §. si per venditorem ff. de contrab. empt.* Simpliciter enim illa doctrina accepta in principia juris monetarij impingit, prout *Abbas Panor. in d. c. quanto Brun. de aug. mon. concluſ. fin. limit. 1. Laudenſ. de Monet. quæst. 14 Gabriel. Concluſ. 3.*

Concluſ. 3. n. 3. de ſolut. Matth. de Afflict. in uſib. feud. tit. Quæ ſint reg. Coler. de proceſs. Execut. p. 1. c. 10. n. 19. Aleman. conſ. 8. quæſt. 6. rat. decid. 6.

130. Undè etiam facilis eſt interpretatio *l. ſi ita aff. de fidejuſ.* in quâ dicitur nummos non æſtimari mercibus. Hoc enim de uſu præcipuo pecuniæ, quæ æſtimandarum mercium cauſâ inventa eſt, intelligitur, quæ cum certa & perpetua ſit, non æſtimatur, ſed æſtimat.

131. In Germaniâ dogma Bartolinum dubitationem movere nulli rem monetariam intelligenti poteſt, utpote cum Conſtitutio Ferdinandi de Anno 59. eamq; inſecuta edicta monetalia imperialia & circularia certam ligam tàm minutis, quàm groſſis nummis conſtituerint, & analogiam, quæ inter majores & minores nummos eſſe debeat, definiverint. Quin & edictis compluribus expreſsè cavetur, Thalerum debere eſſe pedem ſeu normam groſſorum ſolidorum aliorumq; minutorum nummorum, undè rectè dicimus, Thalerum æſtimare nummos minutos, & viciſſim ab illis æſtimari.

132. Ex prædictis conſtare puto, quæ vera ſit mutui tàm in nummis, quàm omnibus alijs rebus fungibilibus ſubſtantia. Ea verò ut deciſionibus quæſtionum monetariarum rectiùs applicari queant, ad certa capita redigenda & Primò pro certo & immoto principio præſupponendum eſt ſemper ex naturâ mutui, & lege Pomponij TANTUNDEM eſſe reddendum.

133. Secundò conſiderandum, quomodo id, quod datum eſt, in obligationem deductum ſit. *L. contract. ff. de Reg. Jur.*

134. Tertiò, Anne res credita extet & reperiri poſſit, an verò planè non exter.

135. Quartò, An bonitas rei creditæ mutata ſit, vel conſtans perſtiterit.

136. Quintò, An mutatio re credita integra vel imminuta contigerit.

137. Sextò, An pacta mutui naturæ congrua vel adverſa adjecta ſint.

138. Primum axioma catholicon eſſe, ſuprà dixímus, ex quo & Secundum exſtruitur, id nimirùm in obligationem ſemper de-

ductum censeri, quod revera datum numeratumq; , non verò quod tantum dictum, realiter verò datum non est.

139. Hinc tertiò generalis Regula inducitur, in pecuniâ mutuo data intrinsecùs mutata semper tempus contractus esse inspiciendum, & nummos sive grossos, sive minutos in eâ bonitate, qua tempore contractus fuit, restituendos esse. *L. cum quid hic. Panorm. & communiter Canonistæ in l. quanto. X. de jurejur.* Idq; omnes communiter DD. statuunt, quos longa serie recenset Collega noster Ernestus Cothmannus *Resp. 36.*

140. Idque non tantùm obtinere, suprà diximus, quando certa nummorum corpora sed & quando certa nummorum quantitas in Florenis, Libris seu Marcis credita est. Florenus enim, licet nomen genericum sit, nec certum corpus designet, attamen ex certis corporibus, nimirùm 24. Solidis, vel 1. Batzijs, & quidem non quibus. vis pro libidine Regali monetario abutentium depreciatis, sed ad legem imperij cusis constat, *Braun. de monet. p. 6. Joan. Petrus Surd. cons. 220. Ant. Sola. de monet. cas 49. n. 3.* Qui si minuti & depreciati sint, Floreni quoq; mutati censentur, nec solo nomine, sed vera quantitate & intrinsecâ bonitate æstimantur. Et Floreni tales genuini alij nominales tantùm, alij supposititij, imò bastardi sunt, quorum patrocinium monstrum illud horrendum Wipperitium progenuit.

141. Porro cum sæpenumero contingat corpora credi certa æstimatione adjecta, quid istis casibus juris sit dispiciendum est: Primo autem distinguendum est anne æstimatio demonstrativè an vero taxativè adjecta sit. Illud tum fieri intelligitur cum valor adjicitur, Ut thaleri à se invicem distinguantur. Sunt enim ij plurium generum & diversorum valorum. Ideo hæc verba nonnunquam adjici solent creditos esse thaleros, Deren ein jeder 33. wol werth vnd güldig sein. Hoc casu certum est corpora credita in corporibus esse restituenda. *Alciat. consil. 55. n. 1. 2. 3. Garf. Mastrill. decis. 7. Belletius Responsa. Ant. Solæ tractatui juncto Surd. cons. 368. Zephalus Consil. 31. n. 6. & 12.* Ast si taxativè thaleri zu 33. gerechnet in obligationem deducantur quid juris sit difficilioris primò intuitu indaginis apparet, ast præsuppositis præmissis principijs æstimationem æquipollentem corporibus semper considerari statuendum, omninò videtur debitorem quidem valorem adjectum verum

præstan

præstando liberari eundem vero ad bonitatem intrinsecam quæ tempore contractus & æstimationis revera fuit redigi debere.

142. Æstimatio namq; licet venditionem quandam inducat, adeoq; periculum & commodum ad debitorem transferat *l. æstimatio 51. l. pen. §. mancipia ff. solut. matrim. l. cum dotem 10. C. de jur. dot.* tamen æstimatio talis præsupponit rei æstimatæ æquipollens perdurans, eandemq; cum re æstimatâ utilitatem præstans precium. Quod certè in nummis, non in nomine Florenorum vel Thalerorum sed in eorundem verâ substantiâ & intrinsecâ bonitate consistit. Quam sententiam confirmant in effectu omnes DD. qui in casu contingentis mutationis intrinsecæ bonitatis tempus contractus inspiciendum esse tradunt, utpote cum ea traditio non tantùm in nummis æstimatis, sed & æstimantibus obtineat, uti suprà demonstravimus & in prædictâ Quæstione Doctores in specie probant *Brun. p. 6. n. 1. limit. 8. Surd. Cons. 438. n. 6. & consil. 438. n. 6. consil. 393. Gabriel. comm. conclus. lib. 3. tit. de solut. conclus. 2. Zangerus de except. lib. 3. c. 1. n. 185.*

143. Rationes quæ pro contrariâ sententiâ adducuntur plerasq; imaginario augmento & præsuppositio falso, nummos nimirum solo usu, licet perperam inducto & obtruso æstimari innituntur. Quo utroq; debili firmamento suprà convulso, quicquid eidem superstruitur, per se concidat, necessum est.

144. Quamvis autem complures magni nominis Jureconsulti in prædicto casu adjectæ æstimationis, debitorem ad æstimationem minutorum tempore solutionis currentem valorem tantùm teneri contendant, & augmentum verbale & phantasticum eidem adjudicent, tamen illi pressiùs examinati partim seipsos explicarunt, & ad æstimationem æquivalentem (uti *Richard. in contrarium* allegatus *consil. 26. vol. 1.* se declarat) partim ante legem Ferdinandicam vixerunt, & magnâ ex parte ad hæc tempora, quibus enormis ista hactenùs grassans monetaria depravatio invasit, non respexerunt, eandem verò lentè & sensim ante aliquot annos non usq; adeò scrupulosè indagarunt, nec adverterunt, Undè eorundem nonnulli sub prætextu istius opinationis pravitatem usurariam exerceri videntes, eam revocarunt.

145. Et certè mirum haùd est, viros cordatos legibus imperij fidem-

64 fidentes, Rempub. benè constitutam corruptioni monetariæ haud obnoxiam præsupponentes, accuratiùs intrinsecæ bonitatis seu ligæ examen Imperatori & Imperij statibus committentes decisiones suas ad valorem tempore solutionis currentem direxisse: quorum tamen plerique bonitatem durantem intrinsecam præsupponunt & requirunt, ut eleganter declarat *Modestin. Pistor. Consil. 27. n. 35. vol. 2.* quem sequitur Collega noster Ernestus Cothman *Resp. 36. n. 59. & 187. 188. & n. 244.* Ad eundem scopum tendunt, quæ dicto *Resp. n. 32. usq; ad 45.* in casu, quo materiæ creditæ bonitas non amplius extat, vel difficulter haberi potest, traduntur.

146. Idem quoq; confirmat nobile & Ferdinandicæ sanctioni æmulum Anno 1568. ab inferiori Saxonico circulo promulgatum edictum monetarium, quod tantæ auctoritatis habitum semper fuit, ut & Præfecti monetarij se edictum hoc observaturos jurare soleant. Eo verò expressè cavetur tàm in grossis, quàm minutis nummis bonitatem intrinsecam, quæ tempore contractus fuit, attendendam esse his verbis: Was aber beschreibungen so vor langen Jahren außgegeben sein / sol der current gülde mit 20 guten Groschen / da sonsten 20 Groschen einen Gülden gegolten / so hinfüro gemüntzet werden / bezahlet werden / in betrachtung / daß Anno 1530. vnd vorhin (wie man genugsame anzeigung hat) die Mariengroschen den jtzigen guten Groschen / wo nicht besser / doch gleich gewesen / Was aber auff Lübesche Müntze Gülden oder Marck gerichtet / weil die geringere Müntze gleicher gestalt von Jahren zu Jahren gefallen / vnd die groben als Goltgülden vnd Thal. gestiegen / ist billig die Jahrzahl der vorschreibungen vnd intrinseca bonitas die zu der gab vnd genge gewesen / anzusehen etc. Idem Edictum in circulo inferiores Saxoniæ Anno 1621. per majora fuit comprobatum.

147. Et secundum hanc sententiam accipiendam quoq; esse observationem *Mynsi. 1. lib. 4.* ex toto contextu & allegatis adjectis evidenter apparet. Quin & novissimè Arrigo Felserus se authenticum Mynsingeri exemplar inspexisse & reperisse verba ista periodo secundâ posita, quæ dubio intellectui obnoxia esse videntur, in Originali deesse & cujusdam mentem auctoris non rectè percipientis imperitia irrepsisse. Mynsingero Geilius consonat *Obs. 73. lib. 2.* qui diligenter lectus à contrarietatis sibi à nonnullis impactæ

vicio

vicio satis vindicat, Cum *num. 2.* de mutato valore intrinseco, at sub *fin. n. 9.* de mutato tantùm valore extrinseco manifestè loquatur, & expressè addat posteriori casu monetam nec in formâ, nec in materiâ mutatam esse.

148. Præjudicia quoq; moderna & antiqua Cameralia partim à Bartio collecta, partim ab And. Kohl & Volkmaro, & non ita pridem ab Arrigone Felsero & Petrejo notata hodiè in summo tribunali, secundùm hanc sententiam pronunciari probant, Idemq; moderni Imperatoris super facti specie non absimili mandatum decretum in publici juris factum stabilit. Nec non Camerales ipso facto suo, se non ex usu contra Constitutiones Imperij pravis moribus inducto, sed ex lege Ferdinandicâ nummos censere, & quæstiones monetarias decidere testantur, dùm salaria sua in probâ monetâ exigunt, sportulas & expensas, imò & credita partibus litigantibus adjudicant.

149. Quamvis autem Constitutiones nonnullæ locales ab hac decisione secessionem fecerint, tamen plerisq; earum protestatio interimistica, & de non præjudicando Imperatoriæ Majestati inserta est. Certè ijs hactenùs litium segetem non succisam, sed potiùs auctam esse, experientia edocet. Et vix est, ut opinione contrariâ nummos non re, sed verbis æstimante prædominante, malum Cauponarium & Wipperitium, vulgus quod vocitat, solidè curatum vel radicitùs exstirpatum iri sperare liceat.

150. Ex hisce constare satis puto, in nummis tàm in specie, quàm genere creditis, in bonitate, quam intrinsecam vocamus, imminutis, tempus contractus semper attendendum: adeoq; eum, qui ante 20 annos 100 Florenos vel Marcas probas mutuò accepit, non liberari posse leviores, depreciatos solvendo, sed solutionem secundùm æstimationem, quæ tempore contractus fuit faciendam, & quod ei deest, in novâ surrogatâ monetâ supplendum esse.

151. Quamvis autem eædem rationes etiam in casu contrario, quo hisce postremis temporibus creditores plerique; callidiores, hactenùs in commercijs obtrusos florenos 24 solidis Lubecensibus ærosis & leviusculis constantes, vel etiam Thaleros ad viliorum nummorum æstimationem auctos in quantitatem resolutos & uno pro 10 Florenis computato, credunt, & reddi stipulantur, militent,

66 tamen reperiuntur complures, qui dicto casu contrario contrarium statuunt, inter quos non ita pridem prodijt responsum sub nomine Wolfgangi Hiller, qui tamen rationibus responso proprio jam antè evulgato seipsum satis graviter confutat, ut utrum responsum genuinum auctoris sit, dubitare haùd immeritò liceat. Nec tamen desunt rationes plausibiles, quibus dogma istud Creditorum patroni incrustent, & in multis provincijs rem familiarem creditores mirificè augeant.

152. Primò namq; pro illo rationes omnes suprà adductæ nummum solâ potestate publicâ à quovis Magistratu vel etiam ipso usu imposita æstimari arguentes, faciunt: quas in genericis (ut loquuntur) debitis potissimùm obtinere, & in ijsdem nullam materiam seu bonitatem intrinsecam planè considerabilem esse contendunt. 2. Urgent vel maximè, debitorem tempore contractus tantundem vilioribus nummis effeciisse, quantum ponderosioribus unquam potuerit, ideò læsionem nullam prætendere posse. 3. Lucrum non censeri ajunt, quod ex incerto eventu dependeat *DD. in l. . ff. de in lit. jurand. Cyn. in l. f. §. sed neq; C. commun. de legat.* 4. Præsupponunt, debitores in contrarium eventum, si ulterius nummi eviluissent, liberari vilioribus nummis potuisse, ideò eosdem hunc quoq; contrarium eventum pro injusto habere non debere *l. pen. C de solut.* 5. Nummos ærosiores, viliores, ante paucos annos creditos, nunc melioribus substitutis publicâ lege reprobatos esse dicunt. Ast reprobatos nummos pro justis solvi iniquum esse clamitant. 6. Id minùs dubitationis habere putant, si obligationibus expressè cautum sit, nummos tempore solutionis currentes solvi debere. Nam pactis de præstatione eventus futuri dubij caveri posse certum est. Undè & in simili pactum de reddendo vino mutuo accepto, quale futuro anno provenerit valere tradunt *DD. ad l. vinum ff. h. t. & in l. 3. ff. eod.* 7. Idem confirmat, quod cachexia & panoletria monetaria casui fortuito accenseatur, cujus præstatio ad dominum nimirùm debitorem spectat *l. incendium C. si cert. petat.* maximè quando de eo præstando cautum est. *l. contractus ff. de Reg. Jur.* 8. Nisi id statuamus, duarum lucrativarum concursum jure prohibitum & hoc casu usurariam pravitatem redolentem, locupletationemq; cum proximi detrimento admittemus.

mus: Alias rationes Hiller prædicto Responso compilavit, easq; Felserus relatione novâ exaggeravit simùl ac confutavit. Quamvis autem argumenta hujusmodi speciosa sint & non privatorum tantùm, sed & judiciorum publicorum suffragia hactenùs in multis locis meruerint, ad juris tamen normam examinata vix est ut consistant.

153. Primo namq; & quidem fundamentali basi omnem substantiam nummorum imposititio & subindè varianti valori tribuenti, columnas & subsidia suprà subtraximus, & simùl dogma hocce in genericò mutuo materiam non considerari, commentum, pseudomonetarium, at contra axioma, Nummum quemvis sive in specie, sive in genere multis corporibus constante, creditum, ex bonitate intrinsecâ æstimari, & mutatione in eâ contingente contractus tempus attendendum, immotum & irrefragabile esse demonstravimus. Nec verò ullus Magistratus vel status sibi potestatem contra leges imperij nummis valorem stabilem imponendi arrogavit, multò minùs moribus pravis tantam vim quisquam tribuere ausit: Manet interim immotum juris fundamentum, Mutuum re datâ certâ contrahi, & eâdem, in genere & bonitate eâdem restitutâ dissolvi.

154. Hæcce mutui proprietas nullo vel eventu vel pacto, substantiâ contractus salvâ manente, mutari potest. Nam legem mutuo non Pomponius tantùm *d. l. 3.* & Imperatores omnes sed & Lex divina constituit *4. Reg. v. 7, Siracid. 29. Prov. 5. Rom. 13. vers. 7.*

155. Unde nec 2. mutuum afficit, quo modo, quove fructu nummos acceptos debitor expenderit, an æroſos & viliores debitoribus suis pro justis obtruserit, vel etiam negociando patrimonium suum auxerit. Libera namq; eidem rei mutuo acceptæ administratio competijt: Et liberum fuit itidem creditori debitoris mutuantis viliorem monetam pro bonâ recipere, & damnum pati, cum juris inspectâ ratione justos nummos vel certè ad eorundem æstimationem computatos repetere ei licuerit. Insuper à viris prudentibus falsitas hujus præsuppositi Florenum semper mansisse florenum & ponderosum leviori æquipolluisse, facile agnoscitur. Id enim cautus mercator sibi persuaderi non magis patietur, quàm si quis evincere tentet 300. Joachimicos 600. æquivalere. Ex hoc-

ce solo pravo principio omnis reductionis monetariæ utilitas, annonæ scilicet remissio sperata, impeditur. Cum enim hac ratione mercatores, qui utplurimum nummis aliundè sub fœnore acceptis negociantur, secundum tempus solutionis pro ærosis nimirùm nummis probos ad justam æstimationem redactos solvere cogantur, damnumq; patiantur, id certè quod annonæ flagellatione resarcire satagunt, vix est vicio ut verti ijs possit: Quæ lucri captandi causa si solutiones omnes ad tempus contractus redigerentur, cessaret, & reductio monetaria effectum optatum sortiretur.

156. Tertiam insuper dubitationem ipsa natura mutui diluit. Illa namq; non ex incerto eventu, sed ex rei datione, quæ tempore contractus fuit, dependet. Quamvis autem Cravetta *Consil. 47. in fin. & Copus decis. 2.* & alij Interpretes lucrum ex eventu enascens pro usurâ non reputent. *argum. l. 1. C. de pact.* tamen Doctores isti penitiùs inspecti, non de generico, quod appellatur, sed certorum corporum mutuo credito loquuntur. In quo si ob nummorum minutiorum depreciationem putativam auctio contingat, eam ne quidem pro auctione ullâ, multò minùs usurariam pravitatem inducente habendam, sed potiùs analogicam specierum cum quantitate easdem æstimante reductionem & æqualem commensurationem esse supra demonstravimus. Quod porrò quattò de contrario eventu prætexitur id itidem ex falso principio oritur. Semper enim verum & κατ' ϖαντὸς manet, valore mutui in bonitate intrinsecâ aucto vel imminuto contractus tempus attendendum, nec salvâ mutui naturâ alium eventum metuendum vel respiciendum esse.

157. Diffiteri equidem non possumus, creditoribus pro justis nummis ante complures annos creditis solutiones in vilioribus & levioribus monetis obtrusas esse. Hoc verò ut per se iniquum est, ita iniquus esset, si creditor quispiam damnum tale passus ejusdem restitutionem à tertio mutuante peteret. Juridicè loqui si velimus, damnum hoc vel primus debitor refundat, vel si id creditor non exegerit, vel litis tædio exigere neglexerit, aut consequi non valuerit, ipse potiùs ferat. Quod & ipsum iniquum, licet in tali casu sit, tamen ob id jura mutari haùd possunt, Quin potiùs hic locum habere videtur. Taciti illud *lib. 14. annalium c. 44.* Omne magnum

magnum exemplum aliquid ex iniquo habet, quod contra singulos 69
utilitate publicâ rependitur. Quod ipsum Principes nonnulli considerantes moderationem Constitutionibus novis adhibuerunt, & quæstiones ejuscemodi æquis compositionibus magis quàm sententijs decidi satius & rectius censuerunt.

158. Quinta dubitatio cessat in casu reprobationis ex causa depreciationis seu imminutæ intrinsecæ bonitatis contingente. Tum enim debitor in nullo redarguendus est, qui nummos acceptos in bonitate accepta restituit.

159. Sexta ratio ponderosior esse videtur. Conventionem namq; legem contractui dare constat. Ast suprà in mutuo Regulam istam ad pacta naturam mutui non evertentia vel destruentia restringi deduximus. Quo respectu *Jason, Zasius, Purpuratus & alij in d. l. 3. & l. rogasti §. 1. ff. h. t.* tradunt, citiùs stellas de cœlo casuras, quàm ut pactum de plus reddendo, quàm datum est, in mutuo admittatur. Unde clausula obligationibus inseri solita de solutione in usuali & currente moneta facienda, intelligenda est de valore intrinseco, qui suis constat legitimis requisitis, quandò nimirùm valor iste lege publica Imperij currit, non verò quando contra eandem malicia monetariorum extra vel contra legem obtruditur. Quælibet enim locutio in juridico intellectu accipienda. *argum. l. Quicquid adstringendæ. ff. de V. O. Surd. Consil. 182. n. 3.* qui itidem *Consil. 126. tom. 2.* conventionem istam de nummis tempore solutionis usualibus solvendis nihil aliud operari, quàm quod debitor non cogatur solvere de antiqua moneta, sed quod possit etiam de nova solvere, in bonitate tamen sua intrinseca consistente. *Caspar. Tessaur. de aug. mon. p. 1. n. 27.* Nam in alio intellectu pactum hocce vix est, ut ab usuraria pravitate quis vindicet, maximè in casu, quando creditores reductionem monetariam subodorantes, vel certè sperantes lucrum ex tali pacto captant. Ita in simili statuitur, si quis merces suas precio currente divendat, sciens brevi alias magna copia superventuras, eum graviter peccare. *Molin. de just. & jure. disp. 354 tom. 2. Summerhart Theolog. Tubing. tract. de controv quæst. 62.* Quò facit *l. cum quis. 38. § qui hominem ff. de solut.* ubi hominem debens statu liberum solvendo, non liberatur ob spem insecuturæ libertatis *argum. l. statu liberum ff. de statu lib.* Accedit,

quod pactum tale postremis hisce temporibus læsionem sæpè induxerit, non ad duplum, triplum, sed & ad octuplum, decuplum. Quæ certè læsio restitutionem in integrum meritò operatur. *argum. l. si superstite C. de dol. mal. l. 2. C. de prædijs min. Mascard. de probat. conclus. 532. n. 25. & 31.* Si tamen uterq; contrahentium, nummorum incertam, & subindè, instar alluvionis, variantem jactationem deliberatò consideret, & de periculi, futuriq; eventus præstatione sine dolo & fraude paciscatur, sustineri quidem illa pactio potest, sed tum negocium in terminis mutui, ut suprà dixi, non perdurat, sed notissimos ejusdem terminos excedit.

160. Quod & nono de lucrativis causis concurrentibus objicitur, augmento imaginario innititur, cujus fucus suprà sufficienter est detersus, & demonstratum, debitorem mutuum in accepta quantitate & intrinseca bonitate reddentem, lucrum captare, nec creditorem, quod dedit, recipientem damnum sentire. Si verò is ultra mutuum prætextu augmenti phantastici pro levibus & ærosis, ponderosos & justos Florenos, adeoq; pro uno Thalero ad æstimationem 32. solidorum creditos, reductione nunc facta, duos plureve reposcat, is lucri usurarij suspicionem vix effugiet. Et quidem hæcce adeò manifesta sunt, ut nemo sana mente contra niti ausit. Ideò non admittendi sunt in hujus quæstionis decisione, qui privati commodi causa eam tractarunt, quod Curtio objicit Anguissola *Consil. 37. lib. 2.* vel amicorum utilitatem, *ut Menoch. profitetur Consil. 94. in fin.* similemq; speciosum prætextum respiciunt. Ex præmissis facilis est decisio quæstionis in facto non ita pridem propositæ, An debitor reductionem prævidens, mille Joachimicos, singulos ad 32. solidos computatos ante complures annos in bona moneta creditos proximis annis quibus alicubi Joachimicus, pro 10 Florenis expendebatur, creditori obtulerit, isq; sublatentem fraudem non animadvertens in currente & usuali pecunia atq; ita 100 Joachimicos pro mille Florenis acceptarit, & apocha data debitorem liberum pronunciarit, anne hujusmodi Creditor ex causa justæ ignorantiæ, item doli, restitutionem in integrum petere possit. Quod ex æquitate Christianâ juris rationem adstipulantem habente, omninò dicendum est. *arg. l. 1. & 7. ff. de juris & fact. ignor. l. error C. eod. Sfort. Oddo de integ. rest. p. 1. quæst. 8.*

161. Ex

161. Ex eodem principio desumitur decisio quæstionis depo- 71
sitæ pecuniæ post depositionem reprobatæ. Si enim reprobatio ob deprecationem intrinsecæ bonitatis facta, nec depositæ pecuniæ, acceptæ pecuniæ ad tempus contractus computatæ in bonitate correspondent non magis depositio, quàm eorundem nummorum solutio debitorem talem liberat.

162. Porro ex eodem fonte promanat resolutio quæstionis de restitutione nummorum aureorum vel argenteorum creditorum, qui vel planè non extant, vel difficulter conquiri possunt. Si enim species creditæ haberi nequeunt, & tamen ex rationibus alicubi repertis, vel ex alijs certis documentis, qualis earum liga & bonitas fuerit, constare possit, redigenda æstimatio est ad secundum valorem *arg. l. 3. h. t. Oldrad. Cons. 11. n. 4. Purpurat. consil. 28. tom. 1. Geil. 2. obs. 73. Cothman. Resp. 36. n. 33.* Et quidem si species rationes extent Zigostatæ judicio adhibito de valore justo statuendum, isq; præstandus *Purpur. Consil. 28. n. 5. Oldrad. cons. 12. Gravett. consil. 806.* Sin verò veteris numismatis crediti species nulla extet nec ex conjecturis colligi æstimatio queat, tum currentis & usualis monetæ solutione debitor liberatur *arg. C. quanto X. de jurejur.* vel si is varius sit, res ad æquitatem redigenda, & boni viri arbitrio ita determinanda ut debitor quam fieri possit minùs gravetur *l. semper ff. de R. J. Brun. de Monet. tract. 1. declar. 1. vers. si hoc cesset.*

163. Hinc quoq; deciditur quæstio, An in mutuo sub hypothecâ vel pignore aut antichresi in certis nummorum speciebus ita dato, ut nisi in eâdem, quâ crediti nummi sunt signaturâ mutuum reddatur, reluitioni locus non sit. Nam etsi species tales haberi nequeant, debitor tamen si justam æstimationem ad tempus contractus redactam præstet, liberabitur, & creditor præcisè species postulans & sub tali prætextu prædium pignoratum retinens, iniquitatis se reum agit, & in vicium *l. Commissoriæ incidit. l. 1. C. de pact. pignor.* Ad difficultatem ejuscemodi evitandam, debitorem quendam Imperatori, ut species promissas conquisitu difficiles vel impossibiles sibi cudi liceret, supplicasse, & exauditum esse refert *Coler. de proces. execut. p. 1. c. 10. n. 13.*

164. Ad præmissæ regulæ normam revocandæ & resolvendæ

quoq;

quoq; sunt quæstiones à contingente reprobatione vel mutatione monetæ profluentes, An moneta credita in totum, vel pro parte, reprobata, debitor reprobatam monetam solvendo liberetur. Quamvis autem nonnulli hoc casu non minus ac naturali rei debitæ interitu debitorem liberari autument. *arg. l. bove ff. de leg. 2. l. quod te ff. si cert. pet. l. in minorum C. in quibus caus. in integ. rest. Laudens. de Monet. n. 14. Imola in C. quanto. n. 1. X. de jurejur. Petrus de Bellapert. in d. l. in minorum.* tamen si ista reprobatio substantiam veram & intrinsecam bonitatem non afficiat, verius est, liberari debitorem etiam monetam reprobatam solvendo. Reprobatio namq; sine debitoris facto & culpâ contingens, nec substantiam ipsam rei mutuo datæ imminuens ei obesse minimè debet. *arg. l. in ratione u. §. 1 ibi DD. ff. ad l. Falcid. l. in Navem Sanphei ff. locat. l. 24. §. 1 ff. de pignor. act.*

165. Si tamen ob imminutam vel corruptam materiam nummi, vel in totum vel pro parte reprobati sint, debitor æstimationem ad tempus contractus reductam præstando liberatur. Et hac distinctione adhibitâ *Brunus p. 2 n. 6.* periculum reprobationis ad debitorem pertinere tradens *& And. Kohl. Exercit. 18. n. 29.* cum alijs interpretibus diversimodè in hac quæstione loquentibus, idem enim fermè statuentibus conciliari possunt, Idq; obtinet tàm in nummis in corporibus certis, quàm in quantitate seu florenis, libris aut marcis creditis. Semper enim substantia, quam in bonitate intrinseca consistere diximus, præstanda est, quâ præstitâ, debitor liberabitur. *arg. d. l. 3 ff. h. t. Bart. ad l. Paulus. ff. de solut. Canonistæ in C. quanto X. de jurejur. Vivius in voce Moneta, Tuschus tom. 5. litt. M. concl. 349.*

166. Ex præmissis certis principijs decisiones quæstionum circa mutuum Thalerorum creditorum cotidiè occurrentium desumi possunt. Nam Thaleri vocem suâ naturâ corpus certum designare supra probavimus, Ideoq; si quis centum Thaleros mutuos accipiat, corpora Thalerorum tempore contractus usualia, secundùm ejusdem temporis valorem reddere tenetur, idq; in obligationibus antiquis minus dubitationis habet, cum constet, ante 20 annos, non alios, quàm Joachimicos unciales cognitos in commercijs fuisse, Ast sensim gliscente depravatione monetariâ, cum

distin-

Zahl Thal. irrepserit, usus loquendi decisionem prædictam variare cepit. Undè hodiè creditis, Thaleris sine corporis circumscriptione Thaleri currens valor creditus censetur per ea, quæ tradit *Modest. Pist. Consil. 27. lib. 2. Mynsi. 5. Obs. 93. Fab. var. resolut. c. 3. Const. Elector. p. 2. Const. 29. ibi Moller. Budel. de monet. lib. 2. c. 2. n 7 & c. 25.*

167. Porrò cum creditores cauponationem monetariam & indè enascentia pericula malo sæpiùs proprio edocti rectiùs nunc intelligant, cautiùs mercari & pactionibus in quosvis eventus sibi prospicere probè didicerunt. Optima autem & justissima ratio cavendi est, ut mutuo pactum de credito eâdem bonitate eodemq; genere, quo datum est, reddendo adjiciatur, idq; expressim in confessione accepti & repromissione reddendi mutui explicetur.

168. Sufficit autem species seu corpora quibuscunq; verbis rem sufficienter notantibus determinari, undè si quis Thaleros credat sive hisce verbis harte / gantze volgeltende sive stücke für stücke Thaleri in specie sunt restituendi. Quod in tantum obtinet, ut licet pro repromissione de Thaleris integris refundendis factâ, verba hæcce obligationi inserta reperiantur an gangbarer Münze: tamen verba ista non æstimationem, sed qualitatem ipsam Thalerorum bonam designent. *Modest. Pist. lib. 2. Consil. 27. Consult. Saxon. vol. 3. p. 1. quæst. 11. & 18.*

169. Quamvis autem in nonnullis locis, uti in Marchiâ certæ formulæ descriptionis Thalerorum, nimirùm stück für stücke publicâ constitutione præscriptæ fuerint: tamen ista formularum subtilitas, cum jure certo nullo nitatur, & mutuum non verborum conceptione, sed rei datione consistat & æstimetur, in judicando vix est, ut attendi debeat. Corporibus autem creditis in suâ naturali & intrinsecâ bonitate durantibus omnis dubitatio cessat.

170. Ast in casu contingentis mutationis intrinsecæ bonitatis vel ipsorum thalerorum vel minutiorum nummorum thaleros æstimantium & ab ijsdem æstimatorum variæ quidem quæstiones moveri solent quarum tum decisiones supra dictis mutui substantialibus requisitis adhibitis resoluti evadunt faciles. Inter alias vero quæstiones hæcce maximè trita est anne thaleris vel aureis in specie muto datis valor eorundem qui tempore contractus fuit, credi-

tus censeatur, & eodem quoquo modo mutato augmentum vel decrementum creditoris vel debitoris sit. Et quidem post alios pro debitore acriter Alemannus Consult. 8. Ronnemannus & complures pugnant quorum tamen rationes Collega & Præceptor noster Ernestus Cothman *Resp. 36. vol. 1. & Cons. 50. vol. 4.* adeò masculè confutavit, ut eidem cum alijs sub eodem vexillo militantibus triumphus meritissimo jure sine ullo ulteriore succenturiatu, debeatur.

171. Pleræq; argutationes quæ cùm Veteres tùm Neoreticos in hujus quæstionis decisione ancipites reddiderunt, ex hæreseos suprà detectæ & rejectæ, nummorum substantiam in solo imposititio valore constituentis principio falso promanant: quo seductus Molineus eò erroris prolabitur, ut valorem ejuscemodi ipsam bonitatem nummi intrinsecam appellitet.

172. Deinde vocis augmenti abusus oculos plerorumq; perstrinxit, dum augmentum phantasticum ex solo numero ob imminutam intrinsecam bonitatem aucto æstimant, quem errorem suprà quoq; diluimus. Aliæ ratiunculæ, quæ inducuntur, ex ijsdem errorum principijs oriuntur, vel falsis præsuppositis consuetudinis aut usurariæ pravitatis aut opinionis communis prætensæ prætextibus innituntur, adeoq; judicem cordatum ad naturam mutui oculos animumq; figentem remorari nequeunt.

173. Immota verò & extra omnem dubitationis aleam posita sunt argumenta quibus asseritur, nummi substantiam consistere in ipsa bonitate intrinseca cum bonitate extrinseca justa proportione correspondente. Quo firmato ex *l. 3. ff. h. t.* argumentum resultat irrefragabile, mutuum acceptum esse in eadem, qua datum est bonitate restituendum. Et hoc est quod tantundem dicitur.

174. Secundò natura mutui ex rei datione non dictione æstimatur & inspicitur non qnod dicitur sed quod datur. Ideo thaleris creditis non qui vulgò thaleri, imaginariè considerati dicuntur, sed qui palpabiliter & realiter dantur considerandi sunt in quorum restitutione legem præscribit *l. 2. & 3. ff. h. t.* illa enim vult ne aliud pro alio creditori, hæc ne minus, quam datum est, reddatur.

175. Tertia succedit ratio, quæ debitorem ad dandum seu reddendum obstringit. Qualiter obligatus rem præstare tenetur, nec æstimationem præstando liberatur *l. stipulationis 72. ff. de V. O. l. nam si*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0094
DFG

æstim. ff. de reb. cred. Aliud namq; est res ipsa, aliud rei æstimatio l. si ita. ff. de fidejuss. l. fin. C. de fideicommiss. libert. l. sed si certos 51. ff. de legat. l 3. §. f. ff. commod. Illa certa & promissa, hæc incerta & omissa. Ad hanc, re ipsa extante, devenitur l. promissor. 23. ff. de novat. l. si servus. 91. ff. de V. O. re verò perempta æstimatio cum re æstimata sit convertibilis, eandemq; utilitatem præstet (ut supra diximus) oportet.

176. Quartò supra quoq; evictum est augmentum, de quo tantopere inter interpretes controvertitur, quodq; non ex authoritate aliqua publica sed rei monetariæ, undequaq; deplorato abusu & minorum nummorum depreciatione oritur, non verum, sed phantasticum adeoq; considerabile in mutuo non esse, sed rem certam in obligationem deductam tantum attendi debere. Est enim mutuum contractus realis certus, qui rei certæ datione, non incerto phantastico augmento & subinde variante valore perficitur. l. 1. 2. 3. & l. eum qui in provincia ff. h. t. unde Bald. in l. 3. vers. 3. rectè ait: Æstimationem ejusmodi ex eventu dependentem & subinde variantem non esse in obligatione sed venire ab extra. Ast in contractu mutui id imprimis consideratur quod in obligationem & repromissionem deductum est. Bart. in l. Paulus ff. de solut. Bald. in c. quanto. X. de jurej. Id verò certi condictione cum exigatur certum esse oportet. l. 9. ff. h. t. l. si quis eodem l. 1. ff. de cond. tritic. Et ultra datum ne quidem verum augmentum paciscì licet. l. rogasti §. si tibi. ff. de reb. fucatum vero quod est veritatem haud lædit vel offuscat.

177. Quintò indubitatum juris principium esse deduximus mutatione intrinsecæ bonitatis contingente contractus tempus esse inspicieudum. Ast cachexiæ monetariæ seu auctionis phantasticæ monitariæ nullam aliam causam esse, quam depreciationem minutiorum nummorum experientia satis testatur.

178. Sexto hanc sententiam stabilit. l. Paulus. ff. de solut. Ea enim ne quidem admittit ut creditori obtrudatur pecunia in alia exteriori forma, quam qua credita est, si exinde damnum is passurus sit. Ex quo colligitur creditorem ne quidem pro Joachimicis creditis minutos nummos etiamsi debitor pro singulis 48 solidos offerat, accipere teneri, cum damnum inde eum passurum esse nemo non videat. Minuti namq; nummi portatu & expensu sunt difficiles

ficiles. *gloss. d. l. Paulus.* Unde & Ferdinandi constitutione cautum est nequis ultra 25 florenos in minuta pecunia in solutionem summæ notabilis accipere cogatur. Quod multò magis obtinet in casu, quo pro Joachimicis justis & ponderosis in suâ bonitate durantibus, non nummi tantùm in formâ diversi, sed & in materiâ corrupti & exinaniti, ac in benè constitutis Rebuspub. reprobati & inexpendibiles, & quidem non crediti solvuntur, sed pro illis penitùs alij obtruduntur, adeoq; Creditori pro officio & beneficio maleficium, & pro interesse damnum rependitur. Quod per se impium & iniquum est. *C. cum non deceat 30. X. de Elect. in 6. arg. l. f. vers. sed cum pessimam. Instit. de donat. arg. l. sed etsi §. consuluit ff. de petit. hered.* Cujuscemodi debitores usurariæ pravitatis reos accusant JCti *Benedict. in Summa lib. 3. c. 9. n. 95. Petrus de Anchor. in C. peccati venia X. de R. J. in 6. Natta Consil. 664. Cephalus Consil 38.* Eosdem ut summè ingratos non jura tantùm civilia, ejusq; interpretes *l. 1. C. de vet num. potest. l. 1. C. de Fabricen. l. un. C. de Canon. frum. urb. Rom. Bart. in d. l. Paulus Garrat. de Monet. n. 17. Francisc. Curt. de Monet. n. 23. Rebuff. in l. f. C. de vet. numis. potest. & t. 1. Reg. Const. in tract. de litterarum oblig. t. 1. gl. 1. n. 3. Ludov. Mexia, prag taxæ panis,* sed & Prophcta Amos *c. 8. & Eccles. c. 28.* redarguunt. Quod ipsum *Alemannus quoq; quæst. 6. & 11. consult. 8. confirmat.*

179. Septimò ex prædicta *L. Paulus* axioma juridicum omnium sanorum placitis probatum exstruitur, quo asseritur, Mutatione vel verbali auctione majorum nummorum ob exinanitam & depreciatam minorum nummorum bonitatem contingente debitorem, minutos nummos viliores & leviores pro corporibus justis obtrudere satagentem non liberari. Talis enim depreciatio cum præter omnem culpam creditoris contingat, ei noxia esse neutiquam debet *C olim. C. pen. X. de censib. C. quanto X. de jurejur. c. 2. X. de Maled. Clem. 2. De decimis. ibi Panorm. Zabarell. Anchoran. & communiter Canonistæ. Corneus Consil. 81. lib. 2. & Cons. 321. lib. 3. Grammat Consil. 12. 13. 14. Socin. Jun. Consil. 145. n. 95. lib. 1 Rubeus Consil. 17. Calcan. Consil. 14 col. pen. & Consil 15. Bened. Capra. Consil. 29. incip. cum viso Francis. Aretin. Consil. 11. Oldrad. Cons. 31. & Consil. 454. Tiraq. de retract. lignag. §. 1 gloss. 18. n. 28 Anton. sola de Monet. c. 17. Brun. de Monet, declarat. 6. Specul. de solut. §. nunc aliqua.*

180. Quæ omnia Octavo præsenti perverso & conclamato se-

culo

culo ac totali fermè anarchiâ, quâ quilibet officinam monetariam habens, eleges monetarias sibi figit refigit, ligam minuit, legemq; nummis quâm vult, imponit: quâ ἀπαξίᾳ durante, fieri non potest, quin in constantissimus valor subindè irrepat. Valor iste né quidem currens verè dici, sed obtrusus violentus imò falsus rectiùs Florenus, appellari potest. Is etenim verus tantùm valor est, quem lex imperialis constituit non tantùm in Thaleris, sed & alijs minutioribus nummis Thalerum æstimantibus, & vicissim ad tessam seu pedem Thaleri æstimandis. Lex hæc monetaria in Recess. imperij Anno 59. lata, & sublequis imperialibus comitijs & circularibus conventibus subindè repetita, & in specie cautum, non licere ulli Principi vel statui alium valorem publicum nummis imponere. Cum enim lex & liga monetaria Constitutionibus Imperij dicta, nec ulla justa præscriptione, nec contrariâ lege vel legitimâ consuetudine sublata vel mutata sit, sed variationes modernæ monetariæ ex manifesto Regalis monetandi abusu & collybistarum improbitate contigerit, ideò nec in benè constitutis judicijs attendi, nec damno creditorum, utpote quorum culpa nulla intervenit, incommodo & detrimento cedere debent, uti in individuo scriptum reliquerunt *Molin. quæst. 100. n. 109. Daniel Mull. ad Const. Sax. p. 2. Const 28. Cothman. Cons. 36. n. 8. vol. Pruckman. Consil. 12. vol. 2.* Undè & Molineus licet adversæ cohortis antesignanus in seculo mutationibus crebrioribus monetarijs obnoxio, & in creditoribus easdem prævidentibus expressim sententiam suam limitat, & eo casu debitorem ad solutionem corporum sine detractione augmenti obligatum esse tradit *Molin. quæst. 93. n. 718. 720. & quæst. 96. n. 732.* 77

181. Accedit Nonò, quod licet usus Thalerorum præcipuè commerciorum causâ inventus sit, constat tamen aureos & argenteos nummos non tantùm ob id, quod expendibiles, sed &, quod in ornamenta vasa & pocula aurea usibus humanis deservientia redigibiles sint. Quo usu & fructu nummorum grossorum magnâ ex parte sine culpâ defraudarentur creditores si pro argenteis & aureis integris nummis creditis minutos æroſos, depreciatos recipere cogerentur.

182. Decimò certum est debitorem in casu contrario si forsan ob auctam minutorum nummorum intrinsecam bonitatem Thale-

ri valor decreviſſet, non plures, quàm in obligationem deduct as reſtituturum *Garrat. de monet. n.17. Annæus Robert. lib.1. rerum jud. Gail. 2. Obſ. 73. in fin.* Id verò cum in caſu decrementi æquum agnoſcat, in contrarium eventum improbare nequit.

183. Undecimò, Molineus, ejusq; aſſeclæ, inter quos Alemannus non poſtremus mutationem nummorum præſentis ſeculi, peſti cataclismo & ſimili fatali malo comparat, & caſibus fortuitis accenſet *argum. l. Lucius verb. poſſeſſiones ff. de evict. Matth. de Affict. deciſ. 54. n. 2. Molin. quæſt. 92. n. 52. Aleman. conſ. 8. quæſt. 2. ratione decid. 2.* Aſt caſuum fortuitorum præſtationem non ad creditorem ſed debitorem, utpote dominum pertinere conſtat.

184. Duodecimò ſententia hæc adeò manifeſto jure nititur, ut Regnaudus adſerere non vereatur, eam, etſi nulla lex extaret, ſolâ naturali æquitate comprobante ſuſtineri poſſe.

185. Quod ipſum decimotertiò Conſtitutiones gentium etiam barbararum, quæ non civili, ſed peculiari ex naturalis juris principijs deprompto jure reguntur, comprobat: Nam Danos, Svecos, Norvvegos, Finlandos, Moſchos, imò Polonos, Turcos & Tartaros hoc jure uti, ut pro Ducatis & thaleris creditis Ducati & thaleri boni reddantur & iutrinſeca nummorum bonitas attendatur, conſtat.

186. Pro hac ſententiâ communem Doctorum opinionem militare Doctores eandem oppugnantes fatentur & D. Cothmannus *Reſp 50. vol. 4.* dilucidè à primis repurgatæ Juriſprudentiæ initijs eam pro communi habitam eſſe ſolidè deduxit. Allegantur quidem à Jacobo Alemanno longâ ſerie Juris Doctores & inducuntur ac ſi communi opinioni obloquerentur, & in acie conſtituitur *Panormitanus in C. quanto X. de jurejur.* ejusdemq; aſſeclæ laudantur *Hyppol. de Marſil. in l. qui falſam ff. ad l. Corn. de Sicar. Specul. lib. 4. t. de obligat. §. nunc aliqua Molin. de uſur. quæſt. 92. n. 69. Bronchorſt. Cent. 1. adſert. 64. Hottom. de uſur. lib. 1. c. 5. Briſſon. lib. 1. de ſolut. Moller. ad Conſtit. Sax. lib. 2. n. 2. Friderus Mind. de mand. lib. 2. c. 63. Wurmbſer. lib. 1. t. 5. Zang. de Except. p. 3. c. 1. n 78. Corraſ. miſcell. c. 13. Joan. Ferrar. in form. act. hypothecariæ. Tiraq. de ret. lignag. §. 1. gloſ. 18. Matth. de Affict. de feud. ad tit. Dua ſint reg. Teſſaur. deciſ. 174. Sixtin. de Reg. lib. 2. c. 7. Grevæus Concluſ. 73. Coronide lib 7. Arniſ. de jure Majeſt. lib. 2. c. 7. Guid. Pap. deciſ. 493. Covarruv. de vet. numiſm. poteſt. c. 7. §. 3. Gilman. Rer. jud. Koppen. deciſ. 2. n. 3.*

Aud.

Aud. Kohl Exercit. Wes. parat. de reb. cred. n. 12. Geil. lib. 2. Obs. 73. Menoch. de arb. jud. quæst. cas. 207. Gabriel lib. 3. tit. de solut. Concluſ. 1. Joseph. Lud. concluſ. 10. §. dubitatio. Sixtin. Conſil. nit. Marp. 12. Modest. Pist. Conſil. 27. n. 35.

186. Aſt omnes prædictos interpretes ſi quis accuratiori ſtudio legat, expendat, rationesq; eorundem diſcutiat, manifestò eoſdem communem opinionem propugnare deprehendet. Quod ni prolixum nimis foret, demonſtrari ſingulatim poſſet. *Panormitanus certè in d. c. quanto. de jurejur. quid ſentiat commentatio ipſa ſatis indicat. Undè & à Bartol. Socin. in conſ. 298. vol. 1. Brun. de aug. mon. p. 3. n. 3. §. reſponde. Cephal. conſ. 31. n. 8.* pro hac ſententiâ allegatur, *Hyppol. d. loco nil decidit.* Speculator in caſu depreciationis monetæ communi ſententiæ adſtipulatur. Molineus licet ſubtiliter contra communem diſputet: tamen Rempub. fraudibus monetarijs non obnoxiam *quæſt. 100. n. 757.* Item, contrahentes de futuro augmento non cogitantes inducit, aliasq; falſas hypotheſes præſupponit, quibus innitentes in accuratiore juris examine non conſiſtunt. Hunc Molineum, licet Bronckhorſt ſequatur, tamen cum & Weſenbecium laudet, ex eodem explicandus vel redarguendus eſt. Nec Menochius Creditoribus adverſus eſt, Quin & is Conſilijs ſuis cvmmunem opinionem validè defendit. *Hottomannus d. loco uti & illuſt. quæſt. 15.* loquitur de vero augmento & reſpicit Rempublicam Romanam, in quâ erat perpetua nummorum poteſtas. Briſſonius, Mullerus, Mindanus integrè perlecti nobiſcum faciunt. Tiraquellus more ſuo ad plures interpretes, quorum pleriq; à noſtris ſtant partibus, remittit, ipſe verò nihil decidit. Mattheus *de Aff. d. loco, uti & deciſ. 294.* rectè inſpectus & intellectus itidem communis opinionis aſſertor eſt. *Sixtinus quoq; Conſil. 12. vol. 2. inter. Marp.* ſemetipſum in tract. de Regalib. explicat. Grevæus remiſſivè tantùm hanc quæſtionem tractat, & inter alios communis opinionis defenſores allegat. Arniſeus nil certi concludit, & ad Rempub. benè conſtitutam cauponationibus monetarijs haud obnoxiam reſpicit. Guid. Papæ totus pro creditore militat. Covarruvias præſupponit veram, ſalvâ manente nummi ſubſtantiâ, contingentem auctionem. Gilmannus pro communi pugnat, quod non tantùm dubitandi, ſed & decidendi rationibus lectis liquidò apparet. Koppen. ad caſum deteriorationis intrinſecæ bonitatis non reſpicit. Kohl & VVeſenb. uti & Geil. & Modeſt. Piſtoris in recto ſenſu idem nobiſcum ſtatuunt. Gabrie-

lium

sum quoq; à nobis non dissentire lectio verèor evincit, in cujus collatione reperi primam editionem esse num. 19. correctiorem. Eam verò secundâ editione corruptam. Josephus Ludovici Nattam commendat, at is Consil. 454. communi opinioni subscribit. Idem judicium de plerisq; alijs interpretibus in phalangem adversantium relatis esto. Et secundum hanc opinionem jus in Camerâ dici, præjudicia complura testantur *Gilman. Rer. jud. lib. 2. c. 16. n. 17. probat.* Et *Erlich. lib. 2. concluſ. 36. n. 28.* secundum eam in Facultatibus pronunciari notat. Et nos ex Responsis omnium Juridicarum Facultatum totius Germaniæ compertum habemus.

187. Et quidem hæc opinio in casu pacti adjecti dubitationis minus habet. Pactum enim de Thaleris creditis in specie reddendis naturæ mutui convenire, & eb id adjectum efficacissimum esse constat. *l. juris gentium. §. Quinimò ff. de pact. l. legem. C. eod. l. 1. §. si convenerit ff. de pos. Paul. Cast. in l. Paulus ff. de solut.* Unde plerisq; adversantes & inter eos Molineus *quæst. 93. n. 718. & 720. & quæst. 96. n. 57.* in casu pacti in partes nostras concedunt.

188. Pacta alia mutuo & quidem varia adjici solent, inter quæ crebriora illa sunt, quibus Creditores sibi cavent in mutuo corporum, ut, si valor Thalerorum crescat, quoquo modo id commodo ipsis cedat, si verò decrescat, conventa æstimatio & quidem in certis corporibus semper præstetur. Quæ pacta uti iniqua & usurariam pravitatem redolentia lucrum illicitum captantia reprobanda videntur *l. secundum naturam ff. de R. J. l 3. h. t. l. rogasti. eod. Cothman. Respons. 36. sub fin.* Pactis quoq; certis novatio induci nonnunquam solet, ut is, qui certum florenorum quantitatem debebat, eandem in certis corporibus Thalerorum florenis æquipollentium corporibus promittat. Et quidem ejusmodi novatio naturæ mutui adversa non est. *argum. l. rogasti ff. h. t.* nisi forsan creditor auctionem corporum imminentem prævidens novationem ea intentione procuret, ut ultra creditum lucrum aliquod captet, & proximum lædat. Ea namq; intentio à pravitate usurariâ vix excusabitur *arg. l. 17 ff. de pact. l 32. ff. de solut. Tessaur. de aug. mon. concluſ. 13. Anton. Fab. de Var. debit. sol.* Aliarum & quidem infinitarum quæstionum monetariarum hoc seculum rixosum cauponationibus monetarijs vel maximè obnoxium est feracissimum, quarum prolixam seriem *Anto. Sola. Anton. Fab. & Caspar. Tessaur.* post alios collegerunt, quas omnes resolvere instituti nostri ratio non patitur. Porrò de rei mutuo datæ vel peremptæ vel corruptæ diversâ æstimatione, secundum diversa tempora præstanda agitur *in l. Sinum ff. h. t. & l. f. de cond. tritic.* Quæ disceptatio cum perplexa sit, disceptationem peculiarem meretur. Ad mutui & imprimis Nummi essentiam demonstrandam hæcce delibasse sufficiat.

DE FINE ET EFFECTU MUTUI.

Caput Tertium.

1.

FInis mutui est mutua inter homines sublevatio. Hominis namq; interest, hominem beneficio affici, & beneficio affectum, beneficium rependere oportet. *serv. 97. ff. de serv. export.* Cui fini effectus mutui cohæret præcipuus, condictio nimirùm certi ad repetendum id, quod mutuo datum est.

2. Quamvis autem res mutuo data in genere tantùm restituenda veniat, genus verò incertum esse videatur, non secùs ac fructus nascituri *l. ubi 75. §. 2. de V. O.* tamen, cum hoc genus numero, pondere & mensurâ ità designetur, ut quale, quantumq; in contractum deductum sit, constet, idipsum pro re certâ meritò reputatur. *l. certi in princip. & §. seq. l. si quis 22. ff. h. t. l. 1. ff. de cond. tritic.*

3. An verò condictio hæcce certi generalis vel specialis sit, inter DD. acritèr quidem, sed exili cum effectu Ultramontani & Citramontani contenderunt, eorumq; hæreses nonnulli modernorum resuscitarunt: Quamvis enim §. *1. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.* condictio, quæ ex hoc contractu oritur, certi dicatur, eaq; ad mutuum in specie *in l. 1. ff. de condict. tritic.* referatur, tamen cum ex contextu *l. 9. ff. h. t.* expressè constet, condictionem certi generalem esse, & quandocunq; de re certâ agitur, dari, adeoq; in effectu parùm intersit, generalis vel specialis dicatur, frustrâ interpretes in

 hujus

82 hujus quæstionis scrupulosâ & inutili discussione laborare constat. *Goddæus de contrah. stip.* maximè hoc tempore, quo actionis expressio necessaria non est. *Bartol. Bald. Castrens. dict. l. 9. arg. l. si quis certum 24. ff. h. t. l. dilectus X. de judic.*

4. Non majoris utilitatis est disceptatio, quæ inter Cujacium & Donellum circa interpretationem *d. l. 9.* de explicatione verborum certi & incerti contractus movetur. Illis etenim verbis JCtum ad contractus certos & incertos respice re ipse contextus arguit, atqs ita verba ista etiam alibi à JCtis sumi, ex collatione *l. 1. §. debitum ff. de constit. pecu. & l. & uno 18. ff. de Acceptil.* apparet: quæ interpretatio non tantùm à veteribus glossatoribus probata, sed & textui convenientior est. Quamvis enim Donellus existimet, certum contractum *in d. l. 9.* dici magis ratione rei petitæ, quàm causæ debendi, idq; ex tituli rubricâ inducat, tamen cum utrumq; rectè dicatur contractum certum esse, qui certum nomen habet, & qui certam rem continet, & hæc duo simul concurrere & coincidere possint, frustranea de verborum horum diversâ interpretatione est altercatio. In dictâ verò lege rem certam in contractum certum vel incertum deductam ab ipso contractu distingui ipse contextus satis indicat: quia alioquin, cum JCtus verba hæcce, ex quo certum petitur, subjicit, idem bis dicere arguendus esset: quam tautologias notam Ulpiano nemo facilè impinget. Nec verò Donelli opinationem juvat, quod ex innominatis contractibus actio præscriptis verbis, quæ incerti dicitur, detur. Nam constat innominatos contractus, & certi condictionem ad rem ipsam in contractum deductam condicendam, & præscriptis verbis ad interesse præstationem producere. Goddæus *de contrah. stip. c. 6. concluf. 20. n. 339.* Certum *in d. l. 9.* interpretatur, quod ab initio certum est, incertum, quod ab initio incertum, ratione verò eventus certum redditur.

5. Requisita actionis seu condictionis certi ex mutuo orientis cognitu, ex ijs, quæ suprà diximus facilia sunt, & ad duo potissimum capita referuntur. Primò nimirùm, ut res revera mutuo data. Secundò, hac lege data sit, ut in genere eademq; bonitate, & quidem gratis restituatur.

6. Hæc quidem requisita in casu, quo res mutuo data in genere

rere restituenda extat, præstariq; potest, expedita satis sunt. Aut si res non extet, sed deterior pretiosiorve facta, & ad æstimationem decurrendum sit, quid in condictionem, & cujus temporis æstimatio ineunda sit, acerrimè controvertitur, cujus controversiæ sedes est *in l. vinum ff. h. t.* De cujus verâ explicatione & deinde interesse præstatione pauca subjiciemus.

7. Rerum æstimationem non omnibus temporibus, nec omnibus locis eandem esse, sed subindè variare experientia locuples est testis *l. precia 65. §. f. ff. ad l. Falcid. l. 3. ff. de eo, quod certo loc.* Unde Seneca *3. de benef.* precium cujusq; rei pro tempore esse ait. Ideò in æstimatione definiendâ, ratione diversorum negociorum, diversa tempora ab Interpretibus considerantur.

8. Primò, tempus constitutæ obligationis. 2. diei adjectæ. 3. Extrajudicialis interpellationis. 4. Litis contestationis. 5. moræ. 6. moræ purgationis. 7. rei interitus. 8. rei judicatæ.

9. Hæc tempora aliter in debito quantitatis ex mutuo adeoq; generis, aliter rei sive speciei certæ ex quocunq; alio contractu considerantur. Æstimatio namq; dupliciter fit, vel ratione substantiæ ipsius mutuo datæ, in eâdem, quâ data est bonitate restituendæ, quæ semper ad tempus contractus redigitur. *l. 3. ff. h. t.* Vel ratione æstimationis quæ extra rei substantiam, ut puta ob sterilitatem vel fertilitatem mercium invectarum copiam vel inopiam, vel mancipis alicujus annonam flagellantis libidinem crescendo vel decrescendo subinde variat.

10. In hac æstimatione ineundâ regulariter, non ut in priori casu, tempus contractus, sed vel moræ vel diei adjecti, litis contestatæ, vel etiam rei judicatæ, secundùm prædicta diversa tempora inspicitur. *arg. l. vinum ff. hic. l. 3. 4. ff. de tritic. act. Cujac. ad African. in explicatione l. hominem ff. mandati. Ant. Fab. 16. con. c. 8. de error. prag. decad. 16. error. 5.* nec adversatur *l. Quoties in diem ff. de V. O.* Nam ibi JCtus quæstionem hanc non decidit, sed hoc tantùm tradit, si quid sub conditione vel in diem debeatur, non posse ullo modo æstimationis rationem iniri antequam dies obligationis venerit, vel conditio extiterit. Non tamen dicit vel definit æstimationem statim à tempore ortæ obligationis ineundam & computandam esse, sed quod tempus sit inspiciendum *ex l. vinum h. t.*

84 *& l. 3. 4. ff. de Tritic. act.* decidendum est. Nec probandum est, quod Cujacius statuit, tempus existentis conditionis perindè esse spectandum, ac diei venientis. Nam ratio juris non patitur, ut tempus contractus quod cum tempore obligationis nascentis coincidit inspiciatur in æstimatione faciendâ. Minùs verò cum Fabro *16. conject. 8. & de error. prag. 16. err.* dicendum, verba (sub conditione) imperiti interpretis inscitiâ irrepsisse, utpote cum superior interpretatio illæso textu consistat. Non itidem hanc sententiam evertit *l. 3. §. si per venditorem ff. de act. empt.* ibi namque verba, quo venit, non tempus contractus, sed tempus, quo vinum tradi debuit, significatur. *Bolognet. in l. vinum. n. 55.*

11. Procedunt hæc, quæ diximus, quando res ipsa, non verò quando æstimatio principaliter in obligationem deducitur. Hoc enim casu non potest alia æstimatio intelligi, quàm de quâ contrahentes ipso contractus tempore egerunt.

12. Duplici autem modo æstimatio in obligationem principaliter deducitur, Vel ex naturâ negocij, de quo agitur, ut in actione mandati contrariâ, cum fidejussor hominem, puta Stichum, pro debitore solvit. Non enim ipse homo est in obligatione, sed æstimatio, quæ fuit eo tempore, quo solutus est, & hic est casus, *l. hominem ff. mandati.* Vel verbis contrahentium, ut in casu *l. fundum ff. de Novat.*

13. In delictis quoq; tempus nascentis obligationis attenditur, quia ab eo tempore moram ipso delicti patrati momento commississe intelligitur. *l. pen. ff. rer. amot. l. in re furtiva. l. ex argento ff. de cond. furt.* non tamen æstimatio retrorsùm ad tempus quo ipsum furtum commissum, redigi debet, sed judicij accepti. Id enim cum tempore delicti plerumq; coincidit, cum quivis furem statim convenire velle præsumatur. Et hic est intellectus *l. 2. §. quæsitum ff. de privat. delict.*

14. Singulare itidem est in casu fidejussionis pro Reo in diem obligato interpositæ, ut fidejussionis tempus in æstimatione ineundâ spectandum sit. *l. cum quid ff. de O. & A.* in quâ tamen verba illa, quo satis acceperit, intelligi possunt de tempore quo fidejussor se soluturum promiserit. Alterutram harum solutionum admittere satiùs est, quàm cum Fabro *16. conject. 10.* vel voculam Non ante

parti-

particulam Quo, inferere, vel verba satis acceperit, suppositionis redarguere. 85

15. In casu læsionis computandæ tempus contractus quoq; inspicitur *arg. l. 2. C. de Rescindend. vendit. arg. l. Julianus. §. si venditor ff. de act. empt. Parisius Consil. 16. n. 82. vol. 1. Mascard. de probat. conclus. 962. n. 4.*

16. Solutionis tempus attenditur, quando citra moram & judicium æstimatio rei debitæ succedens præstanda est. Tùm enim debitor perindè liberatur, si æstimationem, ac si ipsam rem præstaret. *Bart. in l. cum certum ff. de aur. & arg. leg. l. si inter. C. de jure dot. Bald. in l. cum quid n. 7. ff. si cert. petat, l. qui quatuor 30. §. f. ff. de leg. 3.*

17. Dixi hoc obtinere si citra culpam æstimatio præstanda veniat. Nam culpa vel mora interveniente ejus ratio habenda est. *l. ei qui §. fin. ff. de petit. hered. l. quod si nolit. §. idem ait ff. de Ædilit. edict. l. si constante §. si maritus ff. solut. matrim.*

18. Mora verò multipliciter inducitur. Primò lapsu diei adjecti. *l. vinum ff. h. t. l. ult. ff. de cond. tritic. l. Quoties in diem ff. de V. O. l. si fundum ff. de V. O.* idque obtinet, etiamsi ante, vel post termini lapsum interpellatio nulla interposita fuerit. *l. magnam C. de contrab. stipul. l. 2. C. de jure Emphyteut. l. pecuniæ §. usurarum ff. de usur. l. f. ff. de Naut. fœn.* Idem obtinet quoq;, si Creditor in accipiendo moram committat, *l. in condemnatione 173. §. pen. ff. de Reg. Jur.* Quia pro soluto id, in quo Creditor moram fecit, habere oportet. *l. qui decem 72. ff. de solut. l. interdum. 73. §. fin. ff. de V. O.*

19. Quid ergò si eveniat rem tempore litis contestatæ minoris esse, quàm fuit tempore oblationis, vel si duobus temporibus debitor rem offerat? Ejus temporis, quo res minoris fuit, æstimationem faciendam esse, verius est *l. 3. §. f. ff. de Act. Empt.* Quæ Lex quamvis de bonæ fidei contractu loquatur, tamen idem instricti juris judicijs dicendum & statuendum videtur, ibidem notandum, post verbum non oportet rectè subaudiri voculam TANTUM.

20. Hoc tempus diei adjecti diversis verbis in Legibus denotatur, nimirùm QUO venit *in l. 3. §. 3. ff. de Act. l. quoties in diem ff. de V. O.* vel quo satis acceperit. *l. cum quis ff. de A. & Ob.*

21. Porrò secundo mora quoq; committitur litis contestatione.

ne. Ea enim non tantùm tacitam conventionem & consensum in rem, quæ petitur, inducit. *l. 3. §. idem scribit. ff. de peculio.* Sed & debitorem in mora constituit. *arg. l. vinum. junctâ l. f. ff. de cond. tritic. l. hominem ff. Mandati. l. ædilis. 25. §. item sciendum ff. de Ædilit. edict. l. fundum ff. de novat.*

22. Tempus verò litis contestatæ in legibus nostris diversis formulis describitur, nimirùm per verba QUO AGITUR. Item QUO LIS in condemnationem deducitur. *empt. l. 2. ff. de except.*

23. Cum verò in his prædictis casibus moræ ex lapsu temporis & litis contestatæ difficultas ex *l. in hac ff. de cond. trit.* oriatur, in quâ æstimatio non ad illa duo tempora, sed & plura usq; ad condemnationem redigitur, de ejusdem cum *d. l. vinum* conciliatione multùm inter interpretes controvertitur. Complures enim inter res fungibiles & res in specie debitas distinguendum autumant, ejusque distinctionis hanc probabilem satis rationem adducunt, Quod re certâ seu specie in obligationem deductâ, ea omnibus temporibus eadem fuisse censeatur, ut sive deterior facta sit, sive planè interierit, obligationem tamen propter moram continuatam esse dicamus. *arg. l. si servum 91. §. sequitur ff. de V. O.* Ast in quantitatis debito nullius certi temporis puta certum vinum vel oleum debitum fuit nisi per expressam conventionem, Ideò in rebus fungibilibus duo prædicta tempora litis contestatæ imprimis & dici locive adjecti attendenda putant, atq; de ijs *l. vinum h. t. & l. f. ff. de condit. tritic.* accipiunt, & quod ibidem de Rebus cæteris adjicitur per subintellectum verbum similibus supplent. De specierum verò debitarum solutione *d. l. 3. ff. de cond. tritic.* intelligunt, & distinctionis hujus fœdere dictas leges inter se conciliant.

24. Alij inter bonæ fidei & stricti juris contractus distinguendum autumant, in illis Judicis potestatem laxiorem considerant, & tempora æstimationis extendunt. In hisce verò restringunt, eamq; distinctionem ex *l. hominem ff. mandat. & in l. 3. §. in hac ff. commodati,* inducunt. Verùm cum in utroq; judicio, quando de verâ æstimatione agitur, æquitas eadem militet, & nullo casu mora alterius innocenti tertio nociva esse debeat, vix est, ut illa distinctio tuta sit, & redarguitur *l. si sterilis §. cum per venditorem ff. de Act. Empt.* In quâ lege vox hodiè accipitur pro tempore cepti judicij.

dicij. Nec verò *d. l. 3. §. in hac ff. commod.* in æstimatione simpliciter ex tempore moræ litis contestatæ, vel rei judicatæ facienda, inter stricti juris & bonæ fidei contractus inducit. Sed ratione juramenti in litem, diversitatem tradit, quod nimirùm in bonæ fidei contractibus in litem juretur. In stricti juris verò judicijs, re extante non item, sed litis contestatæ tempus spectetur, non tamen hoc ipso negat, in bonæ etiam fidei judicijs, quando extra juramentum in litem de verâ æstimatione rei agitur etiam tempus litis contestatæ inspiciendum. Ideò, quod ibi expresè non definitur, non est præsupponendum, sed ex alijs legibus supplendum. Non itidem *l. hominem ff. mandat.* distinctionem ratione æstimationis, sed tantùm ratione perpetuatæ obligationis stabilit. Alij, inter quos est Castrens. Alex. Zasius distinguunt inter terminum à quo & ad quem. De illo *l. vinum. de hoc l. in hac*, accipiunt. Et certè ita esse non præcisè æstimationem ad tempus litis ceptæ vel diei lapsus restringendam, sed & si pluris post illa tempora res esse ceperit hoc ipsum præstandum. *d. l. 3. ff. de cond. tritic. arguit.* Goddæus porrò propiùs rem tetigisse videtur *de contrah. stip. c. 11. concluf. 5. n. 105.* Ubi ex inductione Legum nonnullarum huic materiæ affinium probabiliter demonstrat *in d. l. 3.* respicere JCtum ad casum, quo ob diei vel loci adjectionem condictio tritiaria fit arbitraria. Quâ interpretatione admissâ, facilis est. *d. l. 3. cum l. vinum* conciliatio. Procedit enim hæc regulariter, quatenùs condictio certi non consideratur ut arbitraria. Si verò ex neglecta debito loco facienda solutione ea arbitraria facta sit, & ampliùs intersit ratione interitus curæ & similium rerum utiq; ad judicis officium pertinebit, hujus etiam rationem haberi vel usq; ad interitum vel condemnationem. Ab hac sententiâ non abludunt, qui *d. l. in hac* non tàm de rei ipsius debitæ, quàm accessionum & interesse æstimatione accipiunt. 37

25. Notandum quoq; est circa postrema duo tempora, ea, in æstimatione facienda, ita attendenda esse, ut neutrum præcisè, sed id quod creditori utilius est, spectetur. *arg. d. l. 3. §. si per venditorem. l. sterilis §. 3. ff. de Act. d. l. 3. ff. de cond. tritic.*

26. Circa tempus litis contestatæ quæri solet, anne effectum ejusdem habeat libelli oblatio: Id quidem pleriq; interpretes negant. *Bart. in l. denunciasse. §. quid ergo ff. ad l. Jul. de adult. Aretin. Bolog.*

 Bolog. & communiter DD. in l. vinum. arg. l. Amplius rem rat. hab. in qua Actor nondùm cepto judicio non petere, sed petere velle perhibetur, & quod libellus non ad debitorem, sed ad judicem dirigatur, adeoq; debitorem in morâ non constituat.

27. Vera licet per se hæc opinio sit, tamen cum fermè nunquàm vel certè rarò contingat, quin in judicium vocatus jàm antè extra judicialiter sit interpellatus, ideò libelli oblatio interpellationem talem subsecuta moram non minuere sed potiùs augere, adeoq; & libelli oblationem plerumq; moram inducere dicendum videtur. *arg. l. pacta novissima. C. de pact. l. sive apud. C. de transact. text. in l. cum ostendemus. §. f. ff. de fidejuss.*

28. Quæ de litis contestatione diximus, obtinent etiam in causis summarijs, in quibus solemnis illa litis contestatio cessat, *Bart. in l. ab Execut. Imola ff. de app.* Item in judicio arbitri *DD. in l. cum antea C. de Recept. arbitr.* Item in casu, quo ob contumaciam Rei lis pro contestata habetur, *arg. d. l. vinum. l. hominem. ff. mandati.*

29. Si tamen Reus litem contestans justam litigandi causam habeat, is in morâ non constituitur, nec adversus eum quanti plurimi ab eo tempore fuerit haberi ratio potest. *gloss. in l. item verberatum in fin. ff. de rei vind. arg. l. fideicommiss. ff. de usur. L. à Titio ff. de V. O. l. favorabiliores. ff. de R. J. l. qui solidum. §. etiam Resp. ff. de legat. 2.* Ex eâdem causâ bonæ quoq; fidei possessor conventus lite contestatâ non statim de periculo decrescentis æstimationis tenetur. *arg. l. illud ff. de petit. hered. l. utiq. in princip. ff. de Rei vind.* In quibus legibus dicitur bonæ fidei possessorem de interitu post litem contestatam non teneri. Interitus autem & decrescentis æstimationis periculum (nisi diversitatis aliqua ratio subsit,) pari passu ambulant. *arg. l. si servus. § si servus. ff. de legat. 1. l. 3. §. 1. ff. commod. l. si filiof. §. 1. l. semel mora. l. æstimatæ. ff. solut. matrim.*

30. Attamen quoad præscriptionis interruptionem & fructuum perceptionem, litis contestatio malam fidem inducit, atq; ita intelligendæ sunt. *l. sed etsi. §. si ante. ff. de pet. hered. l. nemo. C. de adqui. vel amitt. possess.*

31. Quod tamen de interruptione usucapionis & præscriptionis dicitur id Donellus ita accipit eam fieri quidem quoad effectum impediendum non vero cursum penitus sistendum. Nam

mala

mala fides superveniens usucapionem & præscriptionem non plane sistit, quin potius utraq; lite durante excurrit & impletur *l. nec bona C. de præscript. long. temp.* effectu autem juris inspecto interrupta intelligitur per litis contestationem usucapio & præscriptio. Quia post litem contestatam completa non prodest Reo victo, utpote cum is restituere cogatur quod Actor tempore litis contestatæ habiturus fuisset. *l. præterea ff. de Rei vind. l. moræ. C. eod. & l. nec bona.*

32. Quartum tempus æstimationis consistit in extrajudiciali interpellatione, de cujus vi & effectu magna inter Interpretes est altercatio. Nonnulli enim eidem quoad æstimationem faciendam moræ effectum planè detrahunt, ejusq; rationem hanc adducunt, quod æstimationis extrinsecæ definitio ex Judicis officio dependeat, Ideò tempus litis contestationem præcedens & ad officium Judicis non pertinens, in considerationem venire nec debeat, nec possit. *arg. l. ædiles. §. sciendum. ff. de Ædilit. edict* nec extrajudicialis interpellatio debitori nocere debeat. Quam sententiam post *Alberic. de Rosate. Fulgos. Aretin. Paulum Picum, purpuratum Alciat. Loreotum in d. l.* vinum & alios veteres innumeros noviſſimè defenderunt *Anton. Fab. 16. conject. 3. & error. prag. decad. 13. err. 1. & 3. Vaud. variar. quæst. lib. 1. quæst. 41 Fachinæus 3. controv. quæst. 74.* Quamvis autem rationes pro sententia prædicta militantes primò intuitu valdè momentosæ videantur, tamen in bonæ fidei judicijs etiam moræ ante litem contestatam per interpellationem inductæ rationem habendam esse, *l. si sterilis. §. cum per venditorem ff. de act. empt.* expressè evincit cujus legis decisio cur non & in stricti juris actionibus locum habere debeat ratio nulla est. Quin potius Regula à JCto *in l. qui hominẽ ff mandati tradita.* Frustrationem frustratori non tertio noxiam esse debere tam in stipulatione quam emptione obtinet. *arg. l. in re furtiva. §. si ex ca. ff. de cond. furt. l pen. ff. Rer. amot.* Undè communiter interpretes maximè veteres in *d l vinum.* ante verba CUM PETITUM, nisi ante acceptum judicium mora realiter commissa sit, subaudiunt, & verbum PETITIONIS etiam ad extrajudicialem petitionem extendunt. Idq; argumentis si non apodicticis ast certè probabilibus probari eleganter potest, prout ab *Hottoman quæst. ill. 16. Mudæo de contract. empt C. de Mora Molin. in l. un.*

quæst. 3 n. 103. C. de sentent. quæ pro eo, quod interest, Bellon. lib. 1. supput. c. 17. latè Kohl. d. l. aliisq; præstitum quorum opinionem non tantum regula prædicta eique consonans altera; Quod nimirum Quoties per debitorem stetit quo minus res præstaretur ipsius detrimentum sit, *l. quod te ff. de Reb. cred. l. si servus 108. §. si servus ff. de legat. 1. l. Titiæ textores. §. f. ff. de legat. 1. l. si ex legatis causa. l. si servum ff. de V. O. notabiles textus in l. Qui Romæ § coheredes ff. eod.* Sed & à tacite per diei lapsum inducta mora desumpta ratio stabilit. *l. magnam C. de contrah. stip. l. si steriles. § cum per venditorem ff. de actionib. empt. l. cum res in princip. ff. de leg. 1. in hac ff. de condict. tritic.* Utpote cum non minor interpellationis expressæ quam tacitæ vis & efficacia esse debeat. Hanc sententiam Curtius Bolognetus & alij famosæ & difficilis *l. vinum, ff. h. t.* interpretes communem testantur, & Rubeus d. legem in manibus advocatorum ob ejusdem praxim crebram dicit esse valde versatilem, adeoq; difficilem ut teste Gotofredo ei totus populus Hebraicus contradicat. Novissimæ huic opinioni calculum Cujacius in explicatione *l. hominem ff. mandat. tract. ad African.* adjecit. *Dominus Cottman Consil. 51. n. 279.*

33. Et quidem una interpellatio ad moram inducendam sufficit *glossa in l. mora. ff. de usur. Bart. in l. qui Romæ §. Seja ff. de V. O. Bart. in l. Titia. Seja. §. usuras n. 1. ff. de legat. 2. DD. in l. de pupillo. §. si quis ff. de Novi oper nunciat.*

34. Non tamen moræ per interpellationem extrajudicialem inductæ effectus prædictus ad accessionum & fructuum præstationem extenditur, utpote cum illa ob solam moram ne quidem instructi juris judicijs debeatur *l. videamus. §. si actionem ff. de usur.*

35. Non itidem uti extrajudicialis appellatio moram ita & semper malam fidem inducit, aut usuca pionis præscriptionisve cursum interrumpit. *l. alienam. ff. pro empt. Bart. in l. 2. C. servi & aqua. Philip. Corneus Consil. 50. n. 15. vol. 2. Modest Pistor. Consil. 12. n. 35. Consil. 17. n. 32. vol. 1. Fichard. Consil. 31. n. 12. vol 1. Cottman. Consil. 56. n. 33. vol 2.* Si tamen denunciatio extra judicialis non simpliciter sed cum expressione certarum causarum conscientiam possidentis informantium facta sit, malam fidem eam inducere dicendum videtur

detur *Hieron. Gabriel Consil. 144. n. 1. lib. 1. Ebertus Leoninus Consil. 183.* 91
n. 6. Heig. lib. 1. quæst. 16. n. 63.

36. Quintò, quemadmodùm vero mora debitori in æstimatione quanto majoris noxia, ita ea si purgetur effectus moræ cessat. ejusq; temporis, in æstimatione ineundâ, ratio habenda est. *l. semel mora ff. solut. matrim. ff. l si servus. §. si servus ff. de legat. 1. l. illud ff. de pericul. & commod. Rei vend. Gloss. in l. in hac ff. de cond. tritic. Cujac. in l. interdum ff. de V. O.*

37. Sextum tempus æstimationem dijudicandi est rei interitus: Nonnunquam enim debitorem rei interitus liberat, si scilicet ejus culpa nulla arguatur. Quandoq; itidem actio ob moram vel culpam etiam post rei interitum perpetuatur. Et eo casu æstimatio ad tempus interitus redigitur, *l. in hac DD. de cond. tritic.* Loco enim rei æstimatio surrogatur, & surrogati naturam sapit. *l. item veniunt §. f. ff. de petit. hered. l. in re furtiva. ff. de cond. furt.* Ast hoc cum πλάτει largiùs accipiendum, ut non ad ultimum interituræ rei debitæ momentum redigatur, *d. l. in hac.* Et restringendum ad casum, quo ante interitum mora nulla commissa est. Mora namq; commissa, quo tempore res pluris fuit, attenditur.

38. Ultimum tempus est rei judicatæ seu condemnationis, quod tùm demùm inspicitur, si res petita extet, & nulla debitoris mora deterior facta sit. *d. l. in hac ff. de cond. triticiar. l. si ex legati. ff. de V. O. l. fundum. ff. de Novat. l. contractus. ff. de Reg. Jur.* Re enim debitâ sine morâ peremptâ tempus interitus; eâdem verò extante & morâ debitoris deteriore facta tempus moræ inspiciendum est. *l. si servus § rupisse ff. ad l. Aquil l. Titius §. f. l. idq; Julianum ff. de act. empt. l. in fundo ff. de Rei vend.* Quod vero de tempore condemnationis diximus id locum habet si sententia in rem judicatam transeat, Nam si per appellationem suspendatur, pro non lata habetur. *l. qui à latronibus. §. fin. ff. de testament. Bald. d. l. vinum n. 13.*

39. Porrò, cum finis mutui, ut suprà diximus, sit sublevatio proximi, idcò id gratuitum esse debere leges præcipiunt, & proximum egenum usuris gravare, severè prohibent, in eoq; divina juxta ac humana jura conspirant. *Levit. 25. Exod. 22. vers. 25. Psal. 15. Ezech. 18. Deut. 13. vers. 19. 20. Nehem. 5 vers. 7. 8. Proverb. 18 v. 8.*

92 *Luc. 6. l. 3. C. de usur. l. si quid C. si cert. pet. t. t. X. de usur.* Idemq; Imperiales Constitutiones Anno 1500. à Maximil. I. Anno 1548. à Carolo V. & Maximil. II. Anno 1570. latæ & repetitæ confirmant. Undè & usuras lucratorias, utpote mordaces medullas debitorum exsugentes, in Republ. benè constitutâ minimè tolerandas esse statuunt. *Vid. Covarr. lib. 3. res. 1. Anton. de Rosell. de usur. Joan. à Capistrano de usur. n. 50. Joan. Baptistam Lupum tract. de usur. §. 1. n. 4.* Quin & in Camera Imperiali ex simplici mutuo usuræ promissæ nunquam adjudicantur, & Juridica Collegia Catholicæ Religioni addicta contractus hujusmodi tanquam usurarios reprobant, & usuras ex ijs perceptas velut indebitas in sortem imputandas esse pronunciant, prout non ita pridem à Facultate Juridicâ Ingolstadiensi factum esse, compertum habeo.

40. Quamvis autem hæc, quæ de usurarum prohibitione & earundem in sortem imputatione diximus, speciosa sint, & applausum multorum mereantur, in plerisq; tamen Germaniæ Provincijs, Constitutionibus localibus & longævâ consvetudine usuræ in mutui contractibus adjudicantur. Ast usuræ tum non propriè uti lucratoriæ, sed vel uti punitoriæ vel compensatoriæ considerantur, & loco interesse liciti rectè petuntur.

41. Primò namq; juris certi est, in mutuo à tempore moræ interesse deberi & exigi posse. *l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interest, Lipsens. Consul. p. 1. quæst. 33.* Cum verò interesse probatio difficilis sit, novissimo deputationis Cameralis decreto de Anno 1600. §. So viel nun dieſem loco interesse quincunces usuræ permittuntur.

42. Quin & pro re credita interesse in genere vel modo determinato in stipulationem deduci & permitti posse, *DD. communiter* tradunt. *arg §. loco vers. plus petitur. ibi, sed & pecuniæ numeratæ Instit. de act. Bart. in l. si quis fugitivus §. apud Labeonem. ff. de Ædilit. edict. Alex. Consil. 1. n 7. lib. 2. & Consil. 93. n. 8. lib. 6. Cravetta Consil. 145. vol. 1.* Talis namq; contractus non in nudis mutui terminis consistit, sed societatis quandam speciem induit *Gilm. Symph. p. 2. tom. 2 post. vot. 26. n. 102.* Ideoq; eundem post alios *Molinæus de usur. p. 8. & 9.* velut licitum probat.

43. Undè & loco hujusce modi interesse, in plerisq; dicasterijs pro more cujusq; regionis usuras vel quincunces vel semisses adjudicari

dicari constat. Et tale interesse ab utriusq; Religionis in Imperio Romano receptæ asseclis veluti commodi ex pecuniâ percepti compensatio admittitur, & tàm à Theologis, quàm JCtis defenditur, ut videre est in consultat. *Sax. p. 1. quæst. 6. Nicolaus Everh. jun. Consil 13. n. 124. vol. 1.*, qui cum *Consil. 8. n 13.* dixisset à Carol. V. in Constitutionibus politicis, Von Wucherlichen Contracten, omnes contractus, omniaq; pacta usurariam pravitatem sapientia esse prohibita, ita se *num. 124.* explicat, ut moderatas & consuetas usuras loco interesse expromissas, minimè sub istâ prohibitione contineri asserat, *Tiberius Decian. Consil 2. vol. 1. Wesenb.* idem probat *parat. de usur. Petrus Well. tract. de usur. n. 10* Et ipsi Camerales Constitutionem Imperialem ex Jure Canonico desumptam restringunt ad usuras mordaces, ut videre est *ex Respon. Facult. Tubing. & Resp. Cothm. 52.* 93

44. Unde usuras in simplici mutuo promissas Camerales non simpliciter damnant, vel in sortem imputandas esse pronunciant, sed à moræ tempore velut interesse adjudicant, prout præjudicia Cameralia innumera à Christiano Barthio & Seilero collecta & posteritati relicta testantur & *Gilman. in Symphor. tom. 2. pr. vot. 26. & Cothman. Resp. 18. n. 206. vol. 1. & Resp. 52. n. 259. vol. 2.* ubi rescriptum Cameralium causas graves pro usurarum præstatione continens refertur.

45. Ast quæri hic haud immeritò potest à quo tempore mora inducendam usurarum præstationem computanda sit. Anne ante litis contestationem quotannis solutæ, velut ex mora commissa solutæ retineri possint? Certè in compensatorijs usuris dicendum videtur moram à lapsu primi anni committi, utpote cum per solutionem usurarum loco interesse præstitarum sors solvi cepta, nec tamen integra soluta, adeoq; mora commissa sit. Debitores namq; ab eo tempore pecuniam mutuo acceptam in usus suos converterunt. Cum itaq; Creditores usu ejusdem caruerint, ideò æquum certè est, ut in commodi percepti pensationem interesse moderatum pendatur, idq; extra usurariæ pravitatis suspicionem præstari posse, ex Anchorano notavit jamdudùm *Joan. de Anania in C. salubriter Col. 3. vers. Adverte etiam arg. C. per vestras X. de donat. int. vir. & uxo.*

46. Quamvis autem Constitutiones Imperij annuorum redi-

tuum venditiones admittant, & ab omni usurariâ pravitate vendicent, tamen cum omnis mutui simplicis contractus, mutato tantum nomine in reditus annuos transmutari facilè queat, JCti cordatiores verbalis hujus distinctionis prætextum intelligentes eundem nil nisi usurarium colorem esse dixerunt. *Bald in l. un n. 39. C. de his, quæ pœn. nom. & in c. 12. si de feud. vasall. ab alio interpellatus Anton. Fab. de solut. defin. 30. n. 7. Friderus de mandat. c. 72. n. 5.* Undè Molinæus *de usur.* parum interesse ait inter usuras & annuos reditus, cum hi in illarum locum successerint & surrogati sint. *arg. l. Titius 26. ibi gloß. super verbo Reditus ff. de præscript. verb. l. alumnæ ff. de adim. legat.* Et certè in his locis, quibus usuræ ut interesse penduntur, differentiam nullam vel certè exilem esse inter usurarum stipulationem & annuorum redituum emptionem gravissimè persequitur Collega noster Cothman. *vol. 2. Consil. 52. n. 74. usq; ad 108.* Ubi plures hanc sententiam tuentes allegantur.

47. Est autem distinctio prædicta desumpta ex Constitutionibus Pontificum Martini & Calixti extravagantibus *1. & 2. tit. de empt. vendit.* Quæ tamen constitutiones non simpliciter omnes usuras, maximè compensatorias loco interesse à locupletibus & pecunijs mutuo sumptis diescentibus promissas, sed ab egenis, contra proximi charitatem exactas respiciunt, uti Facultas Tubingensis speciali Responso pressiùs istas constitutiones examinans declaravit, Idemq; probat *Hinrichman. Consil 6 Tiber. Decian. Resp 2. n 146. Cothman. Consil. 52. & Gilman. d. vot. 26. vol 2.* Eandem interpretationem quoq; Constitutiones Maximil. . Carol. V. & Ferdin. politicæ, si accuratiùs expendantur, admittunt. Quæ quamvis juri & æquitati maximè consentanea sit, tamen ex Canonistarum sententiâ dicta distinctio etiamnum in Camerâ Imperiali accuratè observatur *Gail. 2. obs. 7.* & in annuis reditibus quinq; pro centum adjudicantur, & quod ultra promissum est pro inutili habetur *Gail. 2. obs. 57.* nisi forsàn præstatio annuorum redituum humanæ vitæ termino circumscribatur. Tùm enim valet contractus annuorum redituum, si pro decem vel duodecim, unus florenus repromittatur. *Geil. 2. obs. 8.*

48. Restringunt Canonistarum pleriq; permissionem annuorum redituum ad casus, quibus reditus ex certis fundis promittuntur.

tur. §. *cum autem Inſtit. de empt. vendit.* Ex incertis enim bonis reditus promiſſos perſonam tantùm obligare putant, ideò talem promiſſionem uſurariam & illicitam pronunciant, idq; concludunt ex Conſtitutione Papæ Pij V. Anno 1568. Romæ promulgatâ *Innocent. in C. in civitate X. de uſur. Didacus Covarruv. 3. Reſol. 7.* Sed hæcce opinio univerſali Germaniæ conſuetudini contraria, reprobata eſt, uti notat *Gail. 2. obſ 7. n. 13. arg. l. creditor, qui non idoneum ff. de Reb. cred. text. in l. fundus quem ff. de annuis legat. l. adverſus C. de O & Act.*

49. Antichreſis quoq;, licet uſuras quincunces excedat, ob incertum fructuum proventum licita eſt. *l. ſi pecuniam ff. de pignor. act. l. ſi is qui bona §. 1. ff. de pignorib. Geil. 2. Obſ. 3. Cothman. Reſp. 57. n. 11.*

50. Proinde Jure ffctorum & Codicis, in odium uſurarum merum lucrum redolentium cautum quidem eſt, ut uſuræ quotannis excreſcentes cumulatæ, ſi ſortem ipſam vel ſuperent in id quod ſuperant, ſorti ſeu, quod idem eſt, in ſortem imputentur, *l. ſi non ſortem. § 1. ff. de cond. indeb. l. pen. C. de uſur.* Et hoc eſt, quod dicitur, ultra duplum, uſuras non deberi, cui duplo ſors ipſa ineſt; uti apparet *ex l. uſuræ C. de uſur.* in quâ Imperator dupli mentionem facit, & mox ſubjicit, ultra ſortis ſummam uſuras non exigi, idq; obtinet tàm in uſuris cumulatim, quàm minutatim ſolutis. *Novell. 121. 138. 139. Harmenop. lib. 3. t. 7. §. 6.* idemq; ante Juſtinianum apud Ægyptios obtinuiſſe, teſtatur *Diodorus Siculus lib. 2.*

51. Aſt ſcrupulum hic non levem injicit. *l. 10. C. de uſur.* Quam legem adeò difficilem eſſe Molineus *de uſur. n. 46.* ſcribit, ut eam 900. annis, poſt Juſtinianum nunquàm rectè intellectam putet. *Bart. & Bald.* eam de unius anni uſuris intellexerunt. Duarenus ſpecialem caſum fingit. Certè Sphyngicum ænigma continere videtur, quod cum reſolutu difficile ſit, tutius forsàn erit dicere *d. l 10.* per poſteriores correctam eſſe.

52. Hæc verò omnia accipienda videntur de uſuris puris in ſtipulationem deductis, ſine morâ debitoris cumulatis, vel ſponte ſolutis. Nam ſi debitor in mora ſit, & ex morâ uſuræ ultra duplum excreſcant, abſurdum certè eſſet, moram moroſo debitor iproficuam,

cuam, & benevolo creditori noxiam esse. *arg. l. in condemnatione ff. de R. J. l. factum ff. eod. C. mora X. eod.* Durante mora ejusdem effectum exspirare. *l. semper §. 3. ff. de jure immun. Joan. Lupus. tract. de usur. in l. curabit. §. 6. n. 120. C. de act. empt.*

Cothman lib. 2. Consil. 2. n. 2 &.

53. Idem quoq; de usuris modernis loco interesse, in plerisq; Germaniæ locis receptis statuendum est. Nam & hæ cum causam licitam perpetuam habeant, & in compensationem utilitatis ad debitorem redundantis præstentur, ideò currere non desinunt, nec solutæ in sortem imputantur, prout elegantibus rationibus probat *Joan. Petrus Surdus Consil. 203. vol. 3. Petrus Frid. Mindan. lib. 2. Mand. c. 73. & Resp. 22. & 38. vol. 4.* Idq; multò magis obtinet in usuris pupillaribus. *arg. l. tutor, qui in fin. l. Lucius §. quæsitum ff. de adminis. tutel. l. fin. C. de usur. pupillarib. Molin. de usur. quæst. 77.*

54. Quod de usuris in sortem imputandis jure civili cautum est, id in antichresi, licet ea usurarum loco videatur esse cum expresse dispositum non sit, non obtinet.

55. Notandum quoq; est, multiplicationem seu superfœtationem usurariam, quam anatocismum vocant, usurarum scilicet usuras omni jure esse prohibitas. *l. si non sortem §. 1. ff. de condict. indeb. l. 2. §. si indemnitas ff de adminis. rer. ad civ. pertin. l improbum C. de his, qui notant. infam. l. usuris. l. ut nullo. C. de usur. Novell. 121. 138.* Undè nec usuras non solutas loco sortis expromitti posse DD. contendunt. *arg. d. l. ut nullo.*

56. Verùm hæcce jura communia intelligenda sunt de usuris merè lucratorijs. Nam si quis in morâ sit solvendi usuras & creditor indè damnum ferat, interesse eo nomine merito petere potest. *Cothm. Resp. 51. n. 271. n. 304.*

57. Quin etiam cum hodiè usuræ loco interesse præstentur, id verò semel præstitum & solutum per se consistat, adeoq; nihil pravitatis redoleat, parum interest, anne illud in sortem redigatur, vel solutum statim eidem debitori vel alij credatur. *arg l. tutor, qui repertorium. §. si usuras l. qui negociationem. §. 1. ff. de adminis. tut. Cagnol. in l. un. C. de sent. quæ pro eo quod interesse. Signorol. de Homod. Consil. 65. n. 8. Anton. Corset sing. 165. verb. lucrum. Gothof. in d. l. ut nullo C. de usur. Cothman. Resp. 18. n. 218. vol. 1. & Respon. 38. quæst. 6. vol. 4.*

58. Jure

58. Jure quoq; digestorum cautum est, quod tutor usuras usurarum ex pecunijs pupillaribus solvere teneatur *d.l. tutor. qui §. 12. ff. de adminit. tut. L. qui negotiationem ff. eod.* 97

59. Quamvis autem *Novell. 72.* tutoribus necessitas fœnerandi remissa sit, tamen Imperij Constit. politica Anno 1577. publicata §. 32. constitutum est, ut tutores singulis annis rationes tutelæ administratæ reddant, & reliqua commodo pupillorum conferant. Undè pleriq; interpretes *d. Novell.* usu contrario sublatam esse tradunt. *Bart. in d. l. Tutor. qui, §. qui post. n. 2. ff. de administ. tut. Rauchbar. quæst. 26. p. 2.*

60. Ex his, quæ diximus, liquet interesse, vel loco ejusdem usuras consuetas ex duplici causâ præstari. Primò ex morâ, deindè conventione & quidem stipulatione. Annè verò & quatenùs ex pacto in continenti vel ex post facto adjecto usuræ peti possint, controverti solet. Et quidem pactum mutuo frumenti, aliarumq; rerum fungibilium, exceptâ pecuniâ numerata adjectum, actionem efficacem gignere liquet ex *l. oleo l. frumenti C. de usur.* Ast ex pecuniâ numeratâ mutuo datâ pacto usuræ non præstantur *arg. l. 3. C. de usur. l. si ex precio C. si cert. petat.*

61. Verumtamen in stipulationem deductæ usuræ rectè peruntur. Cui stipulationi si pactum detrahens adjiciatur id eidem inesse rectè dicitur *in l lecta ff. h. t.* cujus hæc est brevis sententia, Pactum de particulari solutione stipulationi totius sortis in diem solvendæ in continenti adjectũ eidem inesse, & hocce operari, ut, quemadmodum sortis, ità & usurarum solutio differatur. Quanquam enim aliàs verum sit pactum de unâ re factum non ad aliam, & sic nec pactum de sorte, ad usuras extendi, tamen cum & hoc casu solutio usurarum in eventum moræ dilata sit, Ea verò ob pactum adjectum, licet id ad exceptionem tantùm prodesse quis præsupponat (quod tamen falsum esse ibidem paulus innuit) peti conventâ die nequeat, ideò nec totius summæ usuræ exigi posse concluditur.

62. Quamvis itaq; d. l. lecta non agat de casu, quo pactum actionem producit, tamen generalem illam Regulam in stricti juris contractibus locum habere confirmant Leges complures. Inesse enim contractibus dicuntur pacta quæ ijsdem conjuncta & quasi continentia sunt, ut cum ipsis quasi confusa videantur. Et hujus-

 modi pacta quando à parte actoris ineſſe dicuntur, actionem producere ſignificatur. A parte verò rei dum ineſſe perhibentur hanc efficaciam habent, ut ipſo jure exceptionem pariant, id eſt, licet à Prætore forma excipiendi præſcripta non ſit, exceptio ipſo jure inſit & ex judicis officio attendatur, idq; etiam in ſtrictis juris judicijs obtinere Paulus hoc caſu probat, quamvis alij pactum hocce tantùm ad exceptionis vulgarem effectum prodeſſe putarint.

63. Ex intervallo pacta adjecta exceptionem quidem generant, ſed ineſſe ſtipulationi, propriè non dicuntur, ideò exceptio illa niſi præſcripta & oppoſita ſit, à Judice non attenditur *arg. l. 3. ff. de reſcind. vend.* In bonæ fidei tamen judicijs pacta ex intervallo adjecta ineſſe quoq; largo modo dicuntur *l. 7. §. quinimo & ſeqq. ff. de pact.* Et hunc diverſum pactorum effectum *Cujac. ex l. 3. ff. de Reſcind. vend. & l planè ff. de petit. hered.* inducit & eleganter probat.

67. Generaliter tamen vera manet Regula Pauli, pacta in continenti adjecta ineſſe ſtipulationi, adeoq; eundem ſtricti juris ac bonæ fidei contractibus effectum habere. Quod non tantùm hac lege *lecta*, ſed & alijs compluribus legibus confirmatur. *l. 1. §. cum adjicitur ff. h. t. l. 4 ff. de pact. l. rogaſti §. ſi tibi dedero ff. h. t. l. in conventionalibus 52 ff. de V. O. l. 2. C. de jure Emphyteut. l. 9. C. de donat. l. 1. §. ſi quis ff. de V. O. l. petens C. de pact. l. ſi quis ita §. Seja. l. Titia 134 §. idem reſpondit ff. de V. O.*

65. Quamvis autem JCtus Ulpianus effectum hunccе pactis bonæ fidei judicijs adjectis tantùm tribuere videatur *l. 7. §. quinimò ff. de pactis.* Et in ijs (extra caſum ſpecialem *l. 7. ff. de ſerv. exportand.*) ea res minus difficultatis habeat, tamen in ſtricti juris contractibus idem obtinere non negat, ideò quod ibi non traditur, id ex alijs locis ſupplere licet, prout, contrarijs dilutis, poſt veteres JCtos noviſſimè probavit *Godd. de contrah. ſtip. c. 8. concluſ. 2. & de Reb. cred. c. 6. n. 160.*

66. In bonæ fidei judicijs pacta adeò efficaciter inſunt, ut etiam actionem ex ipſo contractu principaliter initio generent, prout veterum quorundam præſcriptis tantùm verbis actionem concedentium controverſiâ decisâ, Divus Severus conſtituit. *l. ſi fundus ff. de*

leg.

leg commiss. juncta l. imperator ff. de in diem addict. l. 2. C. de pact. inp. *l. si sterilis §. si tibi ff. de Act. emp.* Quod tamen Donellus ità accipit, ut existimet ex decisione Divi Severi ità dari actionem ex ipso contractu, ut nihilominus præscriptis verbis actione uti liceat *l. si vir ff. de præscript. verb. l. si convenit ff. de Rescind. vend. l. labeo ff. de contrah. empt.*

67. Et quidem prædicta, Regula, pacta in continenti adjecta tàm bonæ fidei, quàm stricti juris cõtractibus, inesse quoad actionis effectum hoc seculo minus dubitationis habet, utpote quo stipulationum solennitas non attenditur, sed pactis eadem, quæ stipulationibus, vis tribuitur. Ideò satiùs erit amplecti opinionem praxi congruentem, quàm nudæ juris subtilitati innitentem.

68. Notandum quoq; est circa usurarum petitionem, conducere creditori, ut eas sibi cum sorte adjudicari expressè contendat. Nam si fortem tantùm, vel etiam una cum sorte usuras petat, aut sors tantùm adjudicetur, creditor usuras exigere ulterius nequit, sed ei hoc facere tentanti exceptio rei judicatæ rectò opponitur. *l. in bonæ fidei. C. de usur. l. si depositi. C. depositi.* atq; ita exceptio rei judicatæ proderit ei, contra quem judicatum est. Quod videtur esse contra *l. evidenter. ff. de except. rei judic.* quæ tamen restringenda est ad legem præcedentem.

69. Hæc verò exceptio cum in prædicto casu procedat, multò magis in stricti juris obtinebit, nec adversatur *l. negociorum ff. de Appellat.* in quâ præsupponendum est, Reum appellantem in primâ quoq; instantiâ fuisse in usuras condemnatum.

70. Porrò mutuum ritè contractum tollitur numeratione & præstatione ejus, quod acceptum est §. *1. Instit. Quib. mod. toll. oblig. l. prout. l. solutam ff. de solut.*

71. Totum verò debitum solvi oportet, nec particularem solutionem creditori invito obtrudere licet, cum ea plerumq; damnum afferat *l. 3. ff. familiæ Ercisc. l. 13. §. offerri ff. de Act. emp. l. 3. §. reddita ff. commod. l. 3. ff. famil. ercisc.* in quibusdam tamen casibus specialibus creditor particularem solutionem acceptare cogitur, ut in casu *l quidam h. t.* ubi pro parte debitum tantùm est liquidum, ideò id tantùm, quod liquidum est præstandum. Itidem in casu *l. tutor §. Lucius ff. de usur. l. heredes §. 1. ff. famil. ercisc. und.*

 l. 2. §. si quis ita. ff. de eo quod certo loco. l. 4. §. item ff de statu lib. l. permittendum. ff. si pars hered. pet. l. penult. C. de collat. fund. patrim. lib. 11. & similibus casibus specialibus, quorum exceptiones in casibus non exceptis Regulam firmant. Hottomannus *quæst. ill. 22.* tria distinguit tempora. Primum litis movendæ. 2. litis motæ & in judicium deductæ, 3. nec non litis continuatæ ac finitæ. Primo & postremo casu particularem solutionem non admitti medio verò casu locum ex Prætoris auctoritate habere posse *arg. l. quidam.* Quæ distinctio veralicet sit, interim & regulariter negativa consistit. Nec ei quicquam detrahit, quod acceptilatio, quæ solutionis effectum habet, pro parte fieri possit, cum ea inter consentientes tantùm fiat. Ideò exindè ad particularem solutionem invito obtrudendam nihil inferri queat.

72. Novatione quoq; uti quævis obligatio, ita & ex mutuo quæ oritur, tollitur. *l. 1. 2. 3. & tot. tit. ff. de Novat.*

73. Similiter & acceptilatione mutuum in stipulationem deductum dissolvitur *§. 2. Inst. Quib. mod. toll. oblig.* Cum verò Creditores sæpenumero in recipiendo mutuo difficiliores esse soleant, & perpetuandarum usurarum causa lites nonnunquam vanas moveant, eæq; graves & onerosæ plerumq; debitoribus sint. Ideò remedium oblationis depositionis & consignationis adinventum, eoq; debitori subventum est. *l. acceptam l. si creditrici C. de usur.*

74. Diversi horum actuum sunt effectus. Oblatio enim sola verbaliter tantùm si fiat, nullo alio actu accedente, nec moram excusat, nec ejusdem effectus sistit, nisi forsan creditor palam & sine causâ pecuniam oblatam acceptare recuset. *l. si fundus ff. de Rescind. vend. l. si residuum C. de distract. pig. Bald. in l. 1 col. 2. n. 4 in fin. C. ne liceat tertio. Fulgos. Castrens. & Alexand. in l. qui Romæ ff. de V. O. Chassan. tonsil. 113. col. 1. Boër. decis. 142. n. 22. Joan. Pet. Surd. consil. 331. n. 59. & consil. 371. n. 7. 433. n. 25. vol. 3.*

75. Sin verò oblatio realiter cum exhibitione pecuniæ & opportuno loco ac tempore, adeoq; debito modo, non in folle vel sacco *Bart. in l. Prætor ait §. si quis paratus ff. de Novi oper. nunciat. l. cum Servus ff. de cond. & demonst. Bald. in l. acceptam notab. 2 C. de usur.* fiat, ea varios effectus habet. Primo namq; liberat debitorem à

peri-

à periculo interitus. *l. creditor. l. si soluturus ff. de solut.* Et quidem in contractibus bonæ fidei ipso jure, in stricti juris ope exceptionis ex sententiâ Proculianorum *l. qui decem ff. de solut. l. hujusmodi §. si cui ff. de legat. 1. l. interdum ff. de V. O. l. stipulatus 105. ff. de V. O.* Sichard. hoc casu inter debitum speciei & quantitatis distinguit, & in illo, ipso jure debitorem tutum esse, in hoc, ope exceptionis statuit. Quamvis autem hanc distinctionem *ex d. l. qui decem.* adstruat; tamen eadem in fine principij eandem destruit, ubi idem in servo, quod in nummis definitur.

76. Secundus oblationis prædictæ effectus est liberatio à pœnæ commissione *l. celsus ff. de arbit. l. trajectitia ff. de act. & obligat.*

77. Tertius effectus est liberatio pignoris *l. si rem alienam §. fin. ff. de pignorat. act.* Et quidem si judicialiter fiat ipso jure *d. l. & l. si priusquam. C. de dist. pig. Tiber. Decianus Resp. 32. Roll. Vall. cons. 6. Cephal. Consil. 207. Sichard. ad l. acceptam C. de usur. & l. obsignatione C. de solut.*

78. Quartus effectus est cursus usurarum interruptio. Cum enim à morâ debitorem oblatio liberet, usuras quoq; ex morâ exigendas sistit *arg. l. qui Romæ §. Seja ff. de V. O. l. ex prædijs. l. si creditrici C. de usur.* quas leges tres posteriores licet Borcholt cum alijs nonnullis ad antichresin restringat, tamen ratio nulla est, cur idem in usuris ex morâ debitis obtinere non debeat. *arg. l. si per te. C. de usur. l. illud l. si servum § sequitur ff. de V. O.* Idq; minus dubitationis habet, si judicialiter oblatio fiat DD. *communiter ad d. l. acceptam C. de usur. Sichard. ad l. obsignatione C. de solut. Surd. consil. 331. vol. 3. n. 29. Goddæus ue contrah. stip. conclus. 4. c. 12.*

79. Si verò debitor ab omni impetitione securus esse velit, rectiùs fecerit, si in solâ oblatione etiam præsentis pecuniæ non acquieverit, sed eam integraliter, totaliter & realiter, creditore citato, eoq; non comparente, testibus adhibitis obsignet, & loco sacro, aliove publico, vel etiam penes honestum virum deponat. Hoc enim facto, ab usuris, sorte omniq; periculo se liberat. *l. acceptam C. de usur. l. obsignatione C. de solut. ibi Sichard & communiter DD. l. si residuum C. de distract. pig. Schurff. consil. 3. cent. 2.*

80. Si verò creditor cui oblatio & depositio intima-

manda, absens sit, debitor coram Judice vel Notario oblationem contestari potest *arg. l f. ff de lege Commiss. Castrens. Alex. ad l. ad diem 77. ff. de V. O.*

81. Judicialiter debitor oblationem facere si velit, Judicem suum adire potest *arg. C. dilecti X. de foro compet. C. Romana §. contrahentns eod. t.* nisi forsan solutio destinata sit certo loco. Tunc enim eo loco debitum exhiberi & deponi necesse est *Kopp. decis 34. in fin.*

82. Tria verò supra dicta, nimirum oblationem, obsignationē depositionem copulativè fieri oportet, ut totalis liberatio cōtingat. Quod licet d. l. obsignatione. non exprimatur tamen sub voce (solemniter) continetur *& ex l. acceptam* suppletur, Ideò si quis tantùm obsignet, & non deponat, vel deponat & non obsignet, vel utrumq; sine oblatione faciat, plenè se non liberat. *Sichard. ad d. l. acceptam.*

82. Et hæc omnia procedunt, si debitum totum sit certum & liquidum: ast si pro parte sit illiquidum vel obscurum debitorem liquidum tantùm, offerre sufficit, modo & simul contestetur, se, si quid præterea præstandum sit, idem bonâ fide soluturum. Hoc enim casu pro parte debiti liquidi liberabitur *arg. l. quidam ff. h. t. l. statu liberum §. servus ff. de statu lib. Gabriel. consil. 36. n. 64. vol. 1. n. 3. Kopp. d. decis 34.* & solam oblationem in illiquidis debitis ad moræ purgationem sufficere tradunt Doctores *in l. si residuum C. de dist pig. Bart. in l. f. C. eod. Tiraquell. de Retract. consang. §. 1. gloss. 19. num. 2.*

83. Et quidem hujusmodi oblationem liquidi & contestationem de illiquido valdè hoc pernicioso & cauponario seculo, quo valor nummorum euripi instar crescit decrescit, adhibere utile & proficuum est.

84. Deniq; liberatur quoq; debitor à mutui nexu, ope exceptionis ex præscriptione, transactione, pacto, juramento, re judicatâ, similibusve causis promanante *l. sicut. C. de præs. 30. vel 40. ann. l. causas. l. non minorem C. de transact. l. si unus §. pactus ff. de pact.*

85. Sed quid, si credita sit pecuniæ summa dato pignore loco securitatis hac lege, ut creditor re pignoratâ pro interesse utatur fruatur, anne hoc casu juri reluendi præscribitur? Quæstio hæcce

utrimq;

utrimq; graviter ab interpretibus controvertitur. Quamvis autem affirmativâ generalitate *text. l. omnes C. de præscript. l. sicut cum seq. C. eod. l.* nitatur, eaq; fundamentum bonum publicum & certitudinem dominiorum & litium finem habeat *arg. l. 1. ff. de usur. & usf. l. usucapio ff. pro suo.* Eamq; sententiam infiniti gravissimiq; juris interpretes defendant, & Regulam allegans intentionem fundatam habere dicatur, *l. ab ea ff. de probat. DD. in l. 1. ff. de Reg. jur.* nec ab hac Regulâ exceptio certa lege probari posse videatur, tamen negativa sententia non tantùm rationibus solidioribus munita, sed & plurium interpretum suffragio & praxi summi tribunalis Imperij recepta, adeoq; præferenda est. Cerrum namq; est, quod actio pignoratitia ante solutionem debiti nata dici, atq; nondùm existens præscribi nequeat §. *f. Inst. Quib. mod. tollit. oblig. l. si rem §. omnis l. Quod si. l. solurum. l. eleganter. §. 1. l. si pecuniam ff. de pig. act. l. f. C. de licit. pignor.* Deindè constat creditorem, etsi pignoris possessionem habet, & naturaliter possidet *l. cum & sortis §. fin. ff. de pignor. act.* tamen, quoad dominij vim & effectum, non sibi sed debitori possidere *l. quærunq; §. 1. ff. de publ. in rem act. l. si servus ff. de noxalib. actionib.* Ideoq; nec animum & cogitationem jure dominii sibi possidendi habere, adeoq; nec civiliter possidere, sed tantùm pro alieno rem detinere & per consequens usucapere vel præscribere non posse. *l. pignori ff. de usucap.* Accedit, quod illis juribus, quæ meræ facultatis sunt, nullo unquam tempore præscribatur. *l. cum notissimi ibi Gloss. & DD communiter. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Bart. in l. viam publicam ff. de via publ. Bald. in C. un. de feud. dat. invicem. l. commiss. Nicolaus Boer. decis. 35. n. 6.* Certum autem est, jus luendi pignoris esse in merâ facultate debitoris situm. Hûc quoq; facit, quod creditor obligationem penes se habens testem cotidiè conscientiam de malâ fide interpellantem habeat, uti pluribus probat Dn. Cothmannus, *Resp. 63. n. 26. & seq vol. 2.* Et hujus sententiæ defensores plures referunt, *Gabriel lib. 5. tit. de præscript. conclus. 7. n. 1. Fachin. 2. cent. 13. Kopp. decis. 1. n. 83. Vultejus cons. 18. n. 32. inter Marpurg. vol. 1.* Eandem opinionem probat praxis benè constitutorum judiciorum, puta summi imperii tribunalis. *Mynsing. d. obs. 16. cent. 1. Geil. obs. 18. lib. 2. Gilman. tom. 1. part. 3. vol. 14. n. 2.* & Saxoniæ dicasterii Witenb. & Lips. *cons. Sax. de cont. p. 1. quæst. 1. de*

86. Huic controversiæ & illa est affinis, quæ de annuis reditibus moveri solet, Anne scilicet in ijs præscriptioni locus sit, & quidem id communiter negatur, & singulorum annorum præstationes singulas præscriptiones requirere statuitur *l. cum notissimum §. in ijs C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Atq; ità in Camerâ Imperiali pronunciari cotat *Mynsf. 3. obs. 13. Geil. 2. obs. 73.* Quod verò *Geil. d. loco* indè inducit, nec præscriptione effici posse, ut præstationes in eo valore nummorum pendantur, qui per longissimum tempus servatus fuit, id difficultatem non exiguam habet & à Budelio *lib. 2 c. 24.* impugnatur. Et pro contrariâ consuluit *Schurff. cons. 10. cent. 1.* Quam & probabiliter defendunt novissimè *Busius de annuis reditib. lib. 2. c 6. vid. decis. Lipsi. & Witenb. p. 1. c. 17.*

87. Deniq; compensando non minùs, quàm realiter solvendo tollitur mutuum, modò debitum utrumq; pariter sit liquidum *l ff. C. de compens.* Sed ne propositi nostri limites transiliamus, hìc pedem figemus, Deum rogantes, is verum mutui usum humanis mentibus instillet, & eàsdem corrumpentem usurariam pravitatem evellat & exstirpet.

Index in dissertationes. Primus numerus paginam, alter cyphras marginales notat.

A.

ACtiones adversus civitatem ejusq; administratores cumulari possunt 17. 36.
Annui reditus liciti 93. 46. 47.
Analogia nummorum potestatē eorum perpetuam reddit 55. 114.
An moneta credita reprobata, debitor reprobatam solvendo liberetur 72. 164.
Antichresis sustinetur, licet quincunces usuras excedat 99 49.
Aristocratia quid sit 11. 20.
Augmentum & decrementum nummorum cujus sit periculo, creditoris an debitoris 74. 170.
Augmentum quod est ex minutorum nummorum depreciatione non verum, sed phantasticum est. 75. 176.
Auri ad argentum undecupla vel duodecupla est proportio 30. 50.
Auri & argenti pretium variat. 22. 21.
Aurum obryzum, monetis rarò adhibetur 22. 20.

Æ.

Ægroti apud Babilonios publicis locis collocabantur, ut tanto facilius Medicum invenirent
Æris appellatiōe qvid veneat 21. 17
Æstimatio adjecta corporibus creditis vel est demonstrativa vel taxativa 62. 142.
Æstimatio cum re æstimata debet esse convertibilis, eandemq; utilitatem præstare 75. 175.
Æstimatio æqvipollere debet corporibus 62. 141.
Æstimatio est qvædam qvasi venditio, & transfert periculum ad debitorem 63. 142.
Æstimatio nummorum vera qvæ sit & qvæ Falsa seu phantastica 23. 25. & seqq.
Æstimatio redigi debet ad bonitatem, qvæ tempore contractus fuit 63. 142.
Æstimatio rei non est res ipsa, nec liberatur debitor præstando æstimationem, qvi obligatus est rem præstare 74. 175.
Æstimationis tempora varia 83. 8.
Æstimatio rei vel ratione substantiæ, vel accidentis alicujus extrinseci consideratur 83. 9.
Æstimatio in delictis qvomodo consideretur 84. 13.

C.

Causa modernæ mutationis monetariæ est ex prostitutione Regalis monetarii 54. 112.

Causa mutationis & auctionis monetarii valoris est duplex et variè accidit 53. 110. & seqq.

Certi contractus sunt nominati 82. 4.

Civitas qvomodo mutuum contrahat 10. 19.

Civitas fide jubens qvatenus teneatur 14.

Civitas ad mutui solutionem per inductionem collectæ à superiore cogi potest 16. 31.

Civitates gaudent beneficio restitutionis in integrum 17. 37.

Civitas mutuum rectè dare potest 17. 38.

Civitas & Ecclesia æqviparantur 17. 38.

Civitas privati loco in simplici debito est 17. 38.

Civitas non gaudet jure hypothecæ in simplici credito 17. 38.

Clausula obligationum de usuali & currente moneta qvomodo accipienda sit 69. 159.

Collectæ genus qvodnam sit æqvius tolerabilius 16. & 17. 32. & 33.

Commodati vox nonnunqvam mutuo tribuitur 1. 3.

Condictio certi generalis sit vel specialis 81. 2.

Condemnationis tempus qvando inspiciendum 91. 38.

Contractus qvomodo dicatur utrimq; obligatorius & συναλλαγμα 3. 6.

Conventio dat legem contractui 69. 159.

Coronati Gallici solidis proximè accedunt 27. 40.

Cur dicantur Scuta 27. 41.

Cotidiana sunt discenda 1. 1.

Crediti verbum latè patet 3. 6.

D.

Definitio pecuniæ numeratæ 22. 18

Democratia resp. qvomodo obligetur ex mutuo 14. 27.

Denunciatio extra judicialis qvomodo & qvando usucapionem vel præscriptionem interrumpat 90. 35.

Depositione tollitur mutuum 99. 71.

Depositionis reqvisita.

Deprecatio qvæ præter culpam creditoris contingit noxia ei esse non debet 76. 179.

Diei lapsus moram inducit 85. 18. & 90. 32.

Distinctio bonitatis in intrinsecam & extrinsecam vera est, & in nummo simul & semper esse debet 33. 62. & seqq.

Distinctio inter gute vnd schlechte Gülden/ R. Tal. vnd Zahl Taler/ pernicioſa eſt & perturbationem monetæ intricatiorē reddit 53. 110.
Diſtinctio inter Zahl vnd Reichs-Taler/ confuſionem monetæ fovit, multisq; pernicie attulit 29. 47.
Ducati Ungarici 68. faciunt Marcam 26. 36.

E.

Eccleſia aliaq; pia loca in ſimplici mutuo jus hypothecæ non habent 18. 39.
Eccleſiæ debitum cum debito fiſci & dotis non rectè comparatur 18. 41.
Error in cauſa traditionis nō impedit dominii translationem 6. 12.
Extra judicialis interpellatio an moram inducat 89. 32.

F.

Filiusfamilias mutuum rectè dat 20. 45.
Filius familias mutuum accipiens, qvomodo & qvibus caſibus Sancto Macedoniano juvetur
Finis mutui eſt ſublevatio proximi 18. 1. & 91. 39.
Florenus unde dicatur, ejusq; origo & valor 27. 44. & ſeqq.
Florenus cur & undè dicatur Rhenanus & qvomodo in obligationibus accipiatur 28. 45.
Florenum ſemper manſiſſe florenum & ponderoſum leviori æqvipollere falſum eſt 67. 155.
Floreni & Thaleri conſiderantur vel phyſicè vel phantaſticè 27. 43.
Floreni libræ & ſimiles juſtæ qvoq; habent ligam & ſuis limitibus circumſcribuntur 51. 106.
Florenis creditis non nudum numerum ſed qvantitatem diſcretam & continuam creditam eſſe credendum eſt 51. 106.
Forum poli à foro ſoli an differat 22. 52.
Furioſi non contrahunt mutuum 8. 16.

G.

Genus qvando in materia mutui ſumatur 5. 10.

H.

Humana ſolertia terræ proventu non contenta viſcera ejus rimari cæpit 17. 3.

I.

Interitus tempus qvando in æſtimatione rei inſpiciendum
Intereſſe ex morâ in mutuo debetur 92. 41.
Jurisconſultus qvi proportionem monetæ conſiderat non exercet Zygoſtaticam 54. 113.
Jurisconſulti nonnulli malum monetarium ſiniſtris opinionibus foverunt 19. 7.

Jus idem sæpè uno in judicio non dicitur 20. 10.
Jus monetandi qvale sit & qvantum Regale, ejusq; initium & progressus, &c. 40. 81. & seqq.

L.

Lex Civitas ff. de Reb. cred. tantum locum habet in mutuo non in aliis contractibus 16. 29.
Lex ita fertur in benè constituta Repub. ut non subito aboleatur 49. 100.
Lex vinum ff. de Reb. cred. cum L. in hac ff. de cond. tritic. conciliatio 87. 24.
Lex lecta explicatur 97. 61.
Libelli oblatio an litis contestationis effectum habeat 87. 26.
Litis contestatæ tempus qvando in æstimatione facienda inspiciendum 85. 19.
Litis contestatio interrumpit præscriptionem 88. 31.
Lucrum ex eventu enascens pro usura non reputatur 68. 156.
Lucrum capere & augere super mutatione monetæ tyrannicum dolosum & injuriosum est 45. 94.

M.

Marca in Camera sumitur pro 72. aureis Rhenanis 26. 39.
Marcæ appellatio qvid significet illiusq; pondus & valor 29. 47. in fin. 30. 48. & seqq.
Ex Marcâ puri auri fabricari possunt 93. Rhenani aurei 26. 36.
Mensura pedis, congii & modii cum sextariis & ponderibus in publico adservabantur 24. 29. in fin.
Minor qvomodo & qvando ex mutuo obligetur 9. 8.
Moneta à monendo 21. 15.
Moneta est mensura rerum omnium, qvâ mutatâ, omnia mutantur 18. 4.
Moneta cusa non debet plus valere, qvàm materia rudis & infecta 39. 78. & seqq.
Monetæ depravatio tumultus & seditiones parit, & truculentissimo hoste est pernicioſior 43. 91. & seqq.
Monetaria pestis non est nova 18. 6. & 33. 66.
Monetaria pestis plus damni Germaniæ nostræ intulit, qvàm tota bellica moles 18. 5.
Mora variis modis committitur 85. 10. & 85. 18.
Mora qvibus modis purgetur 91. 36.
Mutatio nummorum est malum fatale & fortuitis casibus accensetur 78. 183.
Mutui definitio 2. 1.
Mutui notatio 2. 3.
Mutui diversæ species 5. 11.
Mutuum nõ verborum conceptione, sed rei datione consistit 73. 169. & 74. 174.

Mutuum consistit in qvantitatis certæ datione & justâ ejusdem in genere restitutione ibid.
Mutuum sub Hypothecâ vel pignore in certis speciebus datum si sit, qvid statuendum 71. 163.
Mutuum recipit res qvales & qvãtas non ipsas qvalitates & qvantitates in abstracto 48. 98.
In mutuum deductum semper intelligitur qvomodo datum est, non qvod dictum 56. 113.
In mutuo res danda & restituenda nisi functionem recipiat, non valere 58. 122.
refer ad l.

N,

Nemo unqvam lucratur, nisi qvod alter perdit 35. 94.
Notatio nominis Schilling/Pfenning/Baze/Heller/Groschc/Kortling 32. 57.
Nummi aliter in mutuo, aliter in stipulatione considerantur 50. 102
Nummi eadem est ratio, qvæ mensurarum & ponderum 58. 123.
Nummi coriacei cessante necessitate debent à Principe vel Magistratu redimi 52. 103.
Nummi nisi justâ analogiâ invicem sibi correspondent non recipiunt functionem 58. 123.
Nummi valor est in materiâ & formâ proportionabili 22. 19.
Qvæ duo certam æstimationem secum ferunt 22. 20. & 23. 22.
Nummo omni qvantitas continua, & discreta continetur & considerari debet 32. 60.
Nummos, stanneos & plumbeos prohibuit Lex Cornelia 37. 76.
Nummus apud veteres Saxones tantùm valuit, qvantùm eo comparari potuit 31. 58.
Nummus aliter consideratur in emptione, aliter in mutuo 46. 95. & seqq.
Nummus comparatur cum qvâvis mensurâ 44. 93.
Nummus in jure dupliciter consideratur, vel ùt corpus vel ùt qvãtitas externa 48. 98.
Nummus non est qvantitas, sed consistit in qvantitate 48. 98.
Nummus qvasi νόμος } 22. 15.
Numisma à νομίζειν }
Nummorum origo 16.
Nummus qvamdiù non re-, sed verbis æstimatur, non intermittet malum illud Wipperitium 65. 149.
Nummus sive in genere sive in specie credatur, ex intrinseca bonitate debet censeri 67. 153.

O.

Oblatio debiti qvem effectum habeat 100. 75.
Opinio Bartoli de minutis nummis proponitur & refutatur 60. 127. & seqq.

Opinio eorum & rationes qvi dicunt in genericis debitis non attendi bonitatem intrinsecam 66. 151. & seqq.
qvæ refutatur 67. 153. & seq.
Opinio eorum ponitur, qvi in casu adjectæ æstimationis tempus solutionis tantùm inspiciunt, & refutatur 63. 143. & seq.
ad l. In obligationem mutui id deductùm censetur, qvod revera datum est, non qvod tantùm dictum 62. 138.

P.

Paterfamilias nummos à filiofamilias sumptos vindicare po-
Pacta qvædam mutuo contraria recensentur 80. cyph. ult.
Pactum stipulationi adjectum an à parte actoris insit 97. 60.
Pacto de reluendo an & qvando præscribatur 102. 85.
Pactum de plus reddendo, qvàm datum est in mutuo non valet 69. 159.
Pactum de Thaleris creditis in specie reddendis naturæ mutui convenit 80. 187.
Pactum, qvo cavetur, ut mutuum eâdem bonitate, eodemq; genere reddatur, omnium est tutissimum 73. 167.
Pactum qvo undecim pro decem promittuntur, non valet 57. 119.
Pactum, qvo incertum pro certo promittitur est præter naturam mutui 57. 122
Pecunia Regina mundi 17. 3.
Pecuniæ vox latissima est 21. 12.
dicta à pecudibus 13.
Pecuniam qvi habent, omnia habent 46. 95.
Petitionis vox etiam extra judicialem interpellationem comprehendit 89. 32.
Præsides provinciarum mutuum dare prohibentur 19. 42.
Princeps summus legibus solutus est 40. 81. Nongentium 40. 82.
Principi non licet magis improba numismata cudere qvàm occidere vel grassari 45. 94.
Principium & Rerumpubl. cura super & monetaria 18. 7.
Prodigo an ipso jure bonis interdicatur.
Prodigus non rectè contrahit mutuum 8. 16.
Pupillus mutuum dare prohibetur 8. 15.
Pupillus non obligatur, nisi locupletior factus, vel dolosè contrahens 7. 13.

Q.

Qvantitas qvotupliciter sumatur 3. 7.

Qvæstio

Qvæstio de depositâ pecuniâ post depositionem reprobata 72. 161.
Qvæstio de restitutione nummorum aureorum qvi vel non extant, vel difficultèr conqviri possunt 72. 162.

R.

Rationes adducuntur graves & prægnantes, qvibus ostenditur in nummo etiam internam & nativam bonitatem attendi 36. 70. & seqq.
Reipubl. Rom. certa & perpetua fuit nummorum potestas 79. 186.
Res credita, eâdem, qvâ data est bonitate, restituenda est 56. 117.
Res qvalis cum contractu cepit, permanet & durat 52. 106.
Refutantur rationes eorum, qvi in nummis æstimationem non corpus inspiciendum tradunt 46. 95.
Regalia Princeps summus sine consensu statuum communicare non potest 40. 83.
Rex legum terminis se continens feliciter dominatur, aliàs infelix est & Tyrannus 17. 4.
Rex Galliæ pretium monetæ sine consensu statuum mutare non potest 42. 88.

S.

Schilling in auro est 20. pars aurei, in argento 3. pars Lothonis 31. 56.
Senatusconsultum Macedonianum tantum locum habet in pecuniâ numerata 21. 49.
Sanctum Macedonianum cessat certis casibus 21. 51.
Sancto Macedoniano filiusfam. renunciare neqvit 21. 6.
Sanctum Vellejanum qvando & qvomodo mulieribus prosit 22. 53.
Sententia & rationes eorum qvi nummum in sola externâ æstimatione consistere dicunt 34. 66.
Sicli vera descriptio ex Francisco Riberâ 24. 29. & seqq.
Sicli 16. efficiunt 8. Thaleros sive Marcam argenti 25. 30.
Siclus Judæorum in communem seu vulgarem & sanctuarii qvæ distinctio suspecta est 23. 28.
Solidi pondus qvid sit & qvomodo accipiatur 26. 35. & seq.
Solidi 72 efficiunt libram
Solidus unde dicatur 25. 34.
Solidi & aurei in jure promiscuè sumuntur 26.
Solutio particularis qvando liberat 99. 71.
Solutio si ad tempus contractus redigeretur remitteret annonæ caritas & haberet effectum reductio monetæ 68. 135.
Substantia nummi consistit in intrinsecâ

trinsecâ bonitate, qvâ præstitâ debitor liberatur 72. 165. & 74. 173.
Supervacanea discere summa est dementia 20. 9.

T.

Thaleri appellatio corpus certum denotat 72. 166.
Thaleris, creditis sine corporis circumscriptione, currens valor censetur creditus 73. 166.
Thalerorum origo & appellatio. item usus varius jam 8. Thaleri conficiunt Marcam 29. 46.
Thalerorum corpus seu speciem certi nummi denotat 29. 47. & qvomodo in obligationibus intelligatur.
Thalerus æstimat nummos minutos & vicissim ab illis æstimatur 61. 131.
Tempus contractus inspiciendum est, qvoties mutatio intrinsecę bonitatis contingit 40. 80.
Tempus contractus inspici debere commũis est opinio 95. 126. & s.
Tempus contractus semper est attendendum intrinsecus mutata bonitate nummi in mutuo 62. 139. & seqq.
Tempus solutionis & contractus semper est idem 59. 125.
Tutores an teneãtur pecunias pupillares præcisè fœnori collocare 97. 58.

V. U.

Valor nummi pendet ex materiæ preciositate 55. 114.
Valore extrinseco aucto tempus solutionis inspiciendum 56. 116.
Usuræ qvæ & qvomodo prohibitæ jure divino humano vel constitutionibus imperii 92. 39. 40.
Usuræ ùt interesse rectè petuntur 93. 44.
Usuræ an & qvomodo ab annuis reditibus differant 94. 47. cum seq.
Usuræ sortem exsuperantes an debeantur 95. 50.
Usuræ usurarum qvando licitæ vel illicitæ 96. 55.
Usuræ an & qvando ex pacto debeantur 97. 58.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0132
DFG

trinſecâ bonitate, qvâ præſtitâ debitor liberatur 72. 165. & 74. 173.
Supervacanea diſcere ſumma eſt dementia 20. 9.

T.

Thaleri appellatio corpus certum denotat 72. 166.
Thaleris, creditis ſine corporis circumſcriptione, currens valor cenſetur creditus 73. 166.
Thalerorum origo & appellatio. item uſus varius jam 8. Thaleri conficiunt Marcam 29. 46.
Thalerorum corpus ſeu ſpeciem certi nummi denotat 29. 47. & qvomodo in obligationibus intelligatur.
Thalerus æſtimat nummos minutos & viciſsim ab illis æſtimatur 61. 131.
Tempus contractus inſpiciendum eſt, qvoties mutatio intrinſecę bonitatis contingit 40. 80.
Tempus contractus inſpici debere commũis eſt opinio 95. 126. & ſ.
Tempus contractus ſemper eſt attendendu
bonitate n
Tempus ſ
ſemper eſ
Tutores a
pillares p
Valor nun
precioſita
Valore ex
ſolutionis
Uſuræ qva
tæ jure div
tutionibu
Uſuræ ut
Uſuræ an
reditibus c
Uſuræ ſor
beantur
Uſuræ uſ
vel illicita
Uſuræ an
beantur

pretibus controvertitur. Quamvis autem
text. l. omnes C. de præscript. l. sicut cum seq.
damentum bonum publicum & certitudi-
um finem habeat *arg. l. 1. ff. de usur. & us. l.*
nq; sententiam infiniti graviſſimiq; juris in-
Regulam allegans intentionem fundatam
f. de probat. DD. in l. 1. ff. de Reg. jur. nec ab
ta lege probari poſſe videatur, tamen ne-
tùm rationibus ſolidioribus munita, ſed &
ffragio & praxi ſummi tribunalis Imperij
renda eſt. Certum namq; eſt, quod actio
nem debiti nata dici, atq; nondùm exiſtens
ſt. Quib. mod. tollit. oblig. l. ſi rem §. omnis
leganter. §. 1. l. ſi pecuniam ff. de pig. act. l. f.
ndè conſtat creditorem, etſi pignoris poſ-
traliter poſsidet *l. cum & ſortis §. fin. ff. de*
d dominij vim & effectum, non ſibi ſed de-
nq; §. 1. ff. de publ. in rem act. l. ſi ſervus ff. de
q; nec animum & cogitationem jure domi-
e, adeoq; nec civiliter poſſidere, ſed tan-
nere & per conſequens uſucapere vel præ-
nori ff. de uſucap. Accedit, quod illis juri-
s ſunt, nullo unquam tempore præſcriba-
oſſ. & DD communiter. C. de præſcript. 30. vel
ublicam ff. de via publ. Bald. in C. um. de feud.
Nicolaus Boer. deciſ. 35. n. 6. Certum autem
ſſe in merâ facultate debitoris ſitum. Hùc
tor obligationem penes ſe habens teſtem
malâ fide interpellantem habeat, uti pluri-
nnus, *Reſp. 63. n. 26. & ſeq vol. 2.* Et hu-
plures referunt, *Gabriel lib. 5. tit. de præſcript.*
cent. 13. Kopp. deciſ. 1. n. 83. Vultejus conſ. 18.
1. Eaudem opinionem probat praxis benè
m, puta ſummi imperii tribunalis. *Mynſing.*
18. lib. 2. Gilman. tom. 1. part. 3. vol. 14. n. 2.
itenb. & Lipſ. *conſ Sax. de cont. p. 1. quæſt. 1.*
de

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn73055547X/phys_0137
DFG